It. laura

6
41-b
27

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
27 A
55

ibliotheca
Coll. Rom.
et. Jesu
24. e

66 66 6-41-69
C C
20 19

Digitized by Google

6-41-6-2

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. CLOPPENBVRGII
EPISTOLA
ad CL. V.
LVDOVICVM DE DIEV,
De die, quo D. N. Ieſus Chriſtus, & quo Iudæi comederint Agnum Paſchalem: &
TRACTATIO
De Sabbato Deuteroproto.

Ac ſuper utraque
AMICA COLLATIO EPISTOLICA
cum CL. V.
LVDOVICO CAPPELLO
habita, anno 1634, & 1636.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Bibl: Secr: Coll Rom.
Soc: Jesu

AMSTERDAMI,
Apud IOHANNEM BLAEV,
cIɔ Iɔ c XLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori candido S.

Liberamus tandem fidem datam (edita an. 1637, *Sacrificiorum Patriarchalium Schola ſacra) de iteranda editione Epiſtolæ ad Cl. V. D. de Dieu, de Paſchate Chriſti, & Tractationis de Sabbato Deuteroproto, augendæ Amica Collatione cum Cl. V. D. Cappello. Quem virum ut ad Collationem invitarem, ſuaſit contracta olim convictu & contubernio Salmurienſi, æſtate anni* 1615, *amicitia: meumque ab illo, cujus eruditionem coram veneratus eram, cujuſque perſpectus mihi erat candor, & quem ſciebam in iſtis ſtudiis exercitatiſſimum, diſcendi ſtudium. Idem etiamnum nobis eſt in Collationis editione animus, diſcendi magis quam docendi; atque hoc animo invitantur docti ad conferendam amice ſymbolam; Prophetantes enim* ἀνὰ μέρος *ſcimus nos Prophetare* ἐκ μέρους.

Quia autem vacaturæ erant aliquot pagellæ, viſum eſt illas explere adjecta ad calcem Diſputatione Selecta Textuali ad Oraculum Propheticum de Immanuele naſcituro ex Virgine, Eſaiæ VII, 14, 15, *ante biennium circiter diſputata in hoc Illuſtri Gymnaſio. Erit illa minime* ἀπροσδιόνυσος *ad Problema illud quod movemus in Collatione pag.* 158, 159, 160. *Videri nobis Ioſephum Iudæum Antiq. lib.* 18, *c.* 4, *poſt illud à vi veritatis expreſſum de IeſuChriſto noſtro teſtimonium, ſubnexuiſſe narrationem*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

illam, de Paulina, opinione ſua, à Deo impregnata, revera à Decio Mundo ſtuprata: animo blaſphemandi Fidem Chriſtianorum de Partu B. Mariæ Virginis. Contulimus noſtra illa Exercitatione ſymbolam; ad illam παράφρασιν faciendam, qua ex ductu ac ſerie rerũ verborumque, convinci poſſit Iudæorum cordibus in lectione oraculi hujus impoſitum velamen, quo ad lucem Scripturæ ſufficientem, videntes non vident, excæcati intellectu. Nec pœnitet hoc egiſſe, quamvis nuper Vir magnus Chriſtianiſmo perſuaſum voluerit, prudenter ſe caviſſe ſibi ſemper, ne illius loci auctoritate Iudæos premeret, & Savonarolam in Triumpho Crucis, magno judicio totum illum locum omiſiſſe. Quod forte alias examinaturi preſſius; interim experiemur lubentes judicium tuum, Lector candide, quod rogamus ut candidus impertias. Vale.

Dabam Harderovici, IV Kal. Decembr. anni Iuliani Æræ Chriſtianæ 1642.

Io. Cloppenburch, V.D.M. Sacræ Theologiæ D. & Profeſſor, in Illuſtri Gymnaſio Gelra-Velavico.

HYPO-

HYPOTHESES

ſequentis

Diatribæ Epiſtolicæ,

Mutuatæ potiſſimum
Anglicis ſcriptis

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

H. Broughtoni.

NOn potuit mactari Agnus Paſchalis extra Templum Hieroſolymitanum : In Templo mactari non potuit citra generalem populi conſenſum. Quare neque dies mactationis potuit anticipari, qui Lege Exod. XII præfinitus erat decimus quartus Niſan.

Confirmat hanc ſententiam Maimonides, qui in Korban Peſach cap. 10 proteſtatur, nunquam mutaſſe Iudæos diem mactationis Lege præſcriptum.

Vel ergo dicendum, Chriſtum ex vulgata hypotheſi de diei unius anticipatione, comediſſe Agnum Paſchalem non mactatum in Templo, atque hoc facto (quod abſit) Legem violaſſe: Iuxta Legem enim Agnus privatim comedendus, è Templo deferendus domum erat in ædes privatas, poſt igne abſumptum in Templo adipem,

Digitized by Google

& ſanguinem delatum ad altare: Vel agnoſcendus Chriſti cum Iudæis conſenſus & conformitas in diei obſervatione.

Conformitatem iſtam arguunt Verba illa Matth. XXVI, 2, Οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται. & Marc. XIV, 12, Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. Hæc teſtimonia præſupponunt conſenſum univerſalem in populo Iudaico.

Εναντιοφανὲς illud ex Ioh. XIIX, 28, quod Iudæi dicuntur comeſturi Paſcha ſub initium diei decimi ſexti: & ex Iohan. XIX 14. & Matt. XXVII, 62, quod dies XV ipſis fuerit Paraſceue, tollitur hoc pacto, quod præter Θυσίαν Agni Paſchalis (de qua eſt Lex Exod. XII.) quæ una cœna ejus diei quo mactabatur abſumenda erat: fuerit altera quoque Θυσία Armenti ſeu Bovis Paſchalis, quæ una quidem cum Agno mactanda erat XIV Niſan: ſed poſtridie illam quoque comedere fas erat, ut in die Feſto, ex Analogia Legis Lev. VII, 16. Vtrumque Paſcha expreſſum eſt Deut. XVI, 2. Ibique illuſtratum ab Aben Eſra ex hiſtoria Paſchatis Ioſiæ 2 Chron. XXXV. & à Salomone Iarchi commentario ad vocẽ ובקר & Boves. ac confirmatum ex Miſna Maſſechet Peſachim cap. 6. ſect. 4.

Tradunt hi ſuis commentariis, Bovem immolaſſe illos ad Cœnæ Paſchalis primæ ſatietatem, quibus non ſuffeciſſet (ob nume-

Digitized by Google

numerum juſto majorem) Agnus comeſtus eadem veſpera, eodem ritu.

Idem ille immolationis ritus, & poteſtas manducandi cum Agno in eadem Cœna, nec mirum, neque adeo Paradoxum, ſi bovi poſtridie continuarit Paſchatis denominationem; quando Paſcha repetierunt, & ſolennitatem inſtaurarunt: Quod non potuerunt niſi cenſuerint, ſe poſt primo die comeſtum Agnum, ſecundo die iterum Paſcha comedere XVI Niſan, pariter ut XV.

A Paſchali illa Θυσίᾳ Agni & Bovis צאון ובקר diſtinguenda omnino ſunt alia ſacrificia quotidiana Euchariſtica quæ diebus Azymorum immolabantur, non illo Paſchali titulo & ritu: atque hic æquitatem deſideramus in Scaligero, Prolegom. de Emendatione Temporum nuperæ editionis pag. XXVII. Neque enim ſi ſecus interpretanda eſſet Scriptura quam habent commentarii & traditiones Iudaïcæ, de Agno & Bove Paſchali, minus docti aut probi ſunt, qui hæc proferunt in medium, quando non alia agitatur quæſtio quam de Iudæorum facto: quod ex hypotheſi Scaligeri patrocinium non meretur, quippe quibus non erat inſolens, humanis inſtitutis præcepta Dei temerare quin abolere: Si itaque is error eſt, imputetur Iudæis autoribus. Nemo credo illud adoptavit ulterius, quam ut probabile & in ſpeciem ſaltem Scripturæ

conſentaneum, atque à Iudæis arreptum ad ſtatuminandum illam praxim quam ipſe Scaliger docet ad Spicilegium Computi Iudaici lib. VII, de Emendatione Temporum pagin. 649. *Poſt inſtitutionem hodierni Computi, eandem ſolemnitatem celebrant biduo, propterea quod menſem incipiunt à medio motu Lunæ. Itaque* מספק תחבורת המאורים *propter dubium conjunctionis luminarium Paſcha celebrant* XV *&* XVI *Niſan. Pentecoſten* VI *&* VII *Sivan. Scenopegiam* XV *&* XVI *Tiſri: idque vocant* יום טוב שני של גליות *Feſtum ſecundum exiliorum: quia in Exilio nunc ſunt everſo ſanctuario à Veſpaſiano.* Hæc Scaliger. Plura in hanc ſententiam dabit ſequens Epiſtola. Id jam quæritur, an atrocius aliquid tempore Chriſti commiſerint Iudæi, atque an procraſtinarint ita Feſti diem ſuis traditionibus, ut verus dies Paſchatis ipſis elaberetur; quapropter Chriſtus illos voluerit anticipare, ut verum diem celebraret, qui divina indictione eſſet XV. Nos cenſemus non procraſtinaſſe Iudæos Agni Paſchalis comeſtionem, adeoq; nec Chriſtum illos antevertiſſe: id enim atrocius fuiſſet peccatum, non abſimile peccato Ieroboami I Reg. XII, 32, quando introduxit novum ex cerebri ſui figmento computum Feſtorum: quod majori zelo Chriſtus fuiſſet vendicaturus.

Tametſi autem Agni comeſtionem non procra-

procraſtinarint: neutiquã tamen improbabile eſt ipſos illum primũ Feſti diem xv Niſan paraſceuen vocaſſe & habuiſſe, Sabbati incidentis in diem decimum ſextũm. Loquatur Rituale Iudæorum Hebræo-Germanicum: in quo, per palpabilem quidem hypocriſin, exſerte tamen, definiunt: Si primus dies Feſti Paſchatis quem faciunt יום טוב habeat poſt ſe Sabbatum immediate ſequens (qui ipſiſſimus eſt caſus de quo agitur) Fas eſſe ob Sabbati iſtius religionem iſto יום טוב primo Feſti die, aſſare & coquere, quæ Sabbato comedenda, vnd alles was dar zu gehört: Ac pronunciant exſertis verbis, primum illum diem Feſti Paſchatis minus ſanctum eſſe quam Neomenia aut quivis dies profano Feſtus: Deweil er min heyliſch iſt aß ר"ח vnd חול המועד Teſtatur autem Buxtorfius in Synagoga Iudaica editionis Germanicæ pag. 441 חול המועד ſeu Profano-Feſtos cenſeri tertium, quartum, quintum, & ſextum Paſchatis: Concluſio ergo facilis eſt Primum Paſchatis minus ſacrum cenſeri aliis diebus Paſchatis, quæ quandoque extra omnem controverſiam ſunt Sabbati Paraſceue: V. G. ſextus, ſi ſeptimus incidat in Sabbatum, & quintus, ſi ſextus Sabbatum eſt, & ſic deinceps. Atque hæc quidem pronunciant, non obſtante antegreſſa hac Theſi generali. Non eſſe diſcri-

crimen inter Sabbatum & יום טוב : & quidquid vetitum eſt facere Sabbato, etiam vetitum eſſe in יום טוב **Es iſt kein vnterſcheid zwiſchen** שבת **vnd** יום טוב **was da** אסור **iſt im** שבת **iſt auch** אסור **im** יום טוב.

Hæc prælibanda fuerunt ante ſequentem diatribam Epiſtolicam, ut quibusdam præjudiciis obviam eatur, quæ lectis Scaligeri ſcriptis hærere poſſint: præſertim, quia quæ ex libro Iudaico, cui titulus עקידת יצחק id eſt ligatio Iſaaci, alius adduxerat ut probaret etiam Sabbato (*quod de primo Feſti intelligo, quia ſit divina inſtitutione Sabbato ἰσότιμον*) licuiſſe opus facere, rejicit Scaliger, aſſerens eum qui locum vertit, impoſuiſſe homini quæſtionum quàm Hebraiſmi peritiori. Vnum reſtat quod pæne neglexeram: Scaliger ſententiam quam vindicatum imus, premit hoc præjudicio Eccleſiaſticæ antiquitatis. *Si quintadecima Niſan, quando Chriſtus paſſus fuit feria ſexta, ergo Pentecoſte illius anni fuit Sabbatum. Nam Pentecoſte eſt feria ſecunda quintadecima Niſan, ut diximus ad Computum Iudaicum. Fallitur ergo Eccleſia & omnis Chriſtianitas, quæ ab ultima uſque antiquitate credidit illam Pentecoſten fuiſſe diem Dominicum non Sabbatum. Prolegom. pag.* 27.

Neglexit hoc argumentum doctiſſimus hujus ſæculi Aſtrologus & Chronologus

Digitized by Google

logus Philippus Lansbergius p. m. qui in anni σταυρωσίμου Calendario Pentecoſten facit fuiſſe Sabbatum. Vide Chronologiæ ſacræ pag. 167.

Si vero cum Eccleſia & antiquitate ſecus ſentiendum: oportuna erit illa verborum Lucæ interpretatio literalis, quam Beza urget. Act. 2, 1. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι poſitum eſſe pro μετὰ τὸ συμπληρωθῆναι quum compleretur, pro quum completus eſſet; non tamen (quomodo idem intellexit) ut completum eſſe improprie ſignificet adveniſſe: ſed proprie, quum completus eſſet dies verus Pentecoſtes, Sp. Sanctum poſtridie Feria prima miſſum eſſe VII Sivan, altero die Bidui iſtius, quo teſte Scaligero, loco ante laudato, Pentecoſten celebrarunt: quemadmodum & biduum Paſcha celebrarunt: Ac potuit ἀναλόγως: quemadmodum in Paſchate ita in Pentecoſte quoque poſterior dies bidui non minore religione cultus fuiſſe quam prior.

IOHAN. CLOPPENBVRCH
Amſtelodamenſis
EPISTOLA
AD
D. LVDOVICVM DE DIEV.

Vir Reverende ac Doctiſſime,

SVbnecto poſterioribus meis litteris hanc diſſertationem, qua (potiſſimum examinatis iis, quæ prolixe tractavit Iſaacus Caſaubonus Exerc. XVI ad Annales Baronii) expendo accuratius momenta controverſiæ illius de Agni Paſchalis mactatione & comeſtione: An illam peregerit Chriſtus eadem die atque hora, quibus & cæteri omnes Iudæi idem faciebant; an ſecus. Magis ac magis autem adlubeſcunt quæ nuper ex Brugtono cœpi diſputare pro Theſi affirmante; quam etiam tuetur poſt Toletum Baronius. Placet mihi æquitas Caſauboni, quando fatetur (pag. 467 edit. Londinenſis) negari non poſſe Matthæi, Marci & Lucæ narrationes videri ſignificare id quod placet Baronio: Ac videri caput rei in illa quæſtione poſitum, utrum Iohannes è cæteris tribus Euangeliſtis exponi debeat; an contra. Quando item ponit extra controverſiam pag. 466 & 468.

Factum

Factum à Chriſto Paſcha Iudaicum; & die quidem ſua ac legitima; & hic Chriſtum quoque exacte legem ſervaſſe, atque impleſſe.

Et pag. 471 recte judicat, ſi Paſcha egerit Chriſtus antequam ejus ritus tempus legitimum adveniſſet; non ſervaſſe Legem; neque πληρῶσαι ſed παραβάτην τοῦ νόμου fuiſſe: id vero etiam cogitare impium eſſe, nedum abſurdum. Placent quoque iſtæ Caſauboni hypotheſes: Exemplum in Domino noſtro editum extra ordinem propter furorem procerum Iudæorum, non debere exiſtimari jus ordinarium pag. 480. ſeu non eſſe rei licitæ aut juris conſtituti argumentum, ſceleſtiſſimorum Propheticidarum factum, ſed tantum furoris illorum inauditi, & contemtus Dei, atque omnium rerum ſacrarum. pag. 481.

Manet ergo maxime iſtud controverſum inter Caſaubonum & Baronium: An Iudæi Feſtum tranſtulerint, nec ne. In qua principali controverſia ſupponit Caſaubonus poſt Munſterū & Scaligerum, Iudæos omnino fugiſſe continuationem duorum Feſtorum: quod confutavit magnis argumentis, te quoque arbitro, doctiſſimus Cochus.

Hac igitur cauſa tranſlati Feſti ſublata, antequam tecum confugiam ad Senatuſconſultum Iudaicum de vario menſis initio, velim ante omnia, iſtius tranſ-

lationis Feſti τὸ ὅλε, quod tu ſupponis, ſolide ex Iohannis teſtimonio demonſtrari: ne diſputatio ſit de Non Ente. Quod an præſtiterit Caſaubonus, videamus.

I. Primus locus quem urget eſt, Ioh. XIII, 1, ubi dicitur Cœna & lotio pedum fuiſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, ante Feſtum Paſchatis.

Exiſtimat non poſſe ſolvi enantiophanes inter hæc verba, & Matt. XXVI, 17, ac loca parallela Marci & Lucæ, ſi non fuerit Paſcha Domini diverſum à Paſchate Iudæorum: eſſe autem ſolutionem facilem & certam ex Scaligero: Iohannem locutum eſſe de Feſto Iudæorum; cæteros de tempore legitimo ex Lege quod Chriſtus ſervarit: Atque hoc Caſaubono firmum eſt argumentum diverſæ obſervationis Chriſti & Iudæorum, & per conſequens factæ tranſlationis.

Baronius utitur ſolutione alia ut hoc enantiophanes tollat; interpretans verba Iohannis de die artificiali, ab ortu ad occaſum; non de naturali qui à veſpera die 13 ex inſtituto Iudæorum incipiebat.

Hanc ſolutionem fatetur Caſaubonus aliquando locum habere poſſe: Attamen arbitratur, hîc illi locum eſſe poſſe vix ac ne vix quidem. Propriam, inquit, locutionem & Κυρίαν res ipſa deſiderabat: Nam quis, inquit, ita loquitur? Ante

Feſtum

Feſtum Paſchatis Cœna Paſchalis celebrata eſt, &c. Nimis manifeſta ἀτοπία, quam, inquit, non tollit Baronii commentum, ut de inſecuto die artificiali ſenſerit Iohannes: quia tota Paſchalis ſolennitas ad priorem diei partem pertinet, veſperam videlicet & primam noctem illius diei quæ dicitur prima Azymorum.

Atqui cenſeo in hoc negotio potius propriam & Κυρίαν locutionem eſſe illam, cui Caſaubonus alteram eo nomine præfert. Atque id omnino exiſtimo voluiſſe Iohannem; cœnam Paſchalem celebratam eſſe veſpera & nocte prima illius diei, qui poſt exortum Solis dies Feſtus erat & ſacer; quippe in quo debebat ex Lege fieri מקרא קדש Congregatio ſancta, & quo nullum מלאכת עבודה opus ſervile facere licebat, ut nuper recte obſervaſti ex Levit. XXIII, 7. Quare miror Caſaubonum totam Paſchalem ſolemnitatem vendicare veſperæ & primæ nocti illius diei. Secus mihi perſuadent מנהגים Rituales libri Iudæorum, ubi tituli diſtincti ſunt quibus dies à nocte ſejungitur, quando nox decima quarta deſtinatur ad aquam מצוה præcepti: & בדיקת חמץ ſcrutationem fermenti, at dies artificialis oriente Sole denominatur ערב פסח Veſpera Paſchatis: atque iterum diſtincte tractatur די ארשט נכט פון פסח Prima nox Paſchatis: & mox novo titulo די ארשט טג פון פסח Prima dies Paſchatis.

I I. Locus ſecundus quem Caſaubonus urget contra Baronium eſt Ioh. x i i x, 28. *ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα: ut non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha.*

Iudæi igitur, inquit, Paſcha nondum manducaverant: at Chriſtus manducaverat: non ergo eadem die Chriſtus & Iudæi Paſcha comederunt. Loqui autem Euangeliſtam de primo die Azymorum & ſolemnitate Agni Paſchalis, illa verba, inquit, oſtendunt; ut non contaminarentur. Præceptum enim de vitanda immunditia, de quo Euangeliſta intelligebat, vel proprium fuit ejus diei, quo Paſchalis agnus mactabatur, offerebatur, edebatur: vel commune diei primo & ultimo, quos duos dies diſerte ſeparat à cæteris Deus Num. cap. x x i i x. & utrumque eorum vocat congregationem ſanctam: cæteros non item: Hactenus Caſaubonus.

Quæ de die ſingulari ad quam ſpectabat præceptum de vitanda inmunditia Caſaubonus diſputat, valeant contra iſtam hypotheſin Baronii; ex qua dici poſſet Iudæos per ſeptem Azymorum dies ſingulos Paſcha comediſſe: At non evertunt ſolennitatem cœnæ diei decimi ſexti ineuntis, qua Paſcha repetierunt & feſtivitatem inſtaurarunt. Quid autem eſt repetere Paſcha quam iterato φαγεῖν τὸ πάσχα? Nolim ergo cum Baronio opinari victimas per ſeptem Azymorum dies

mactari

mactari ſolitas , eſſe appellatas Paſcha: ſed cum Broughtono illas tantum , quæ die decimoquarto una cum Agno Paſchali mactabantur, & quarum reſiduum una cum reſiduo Agni (ſi dies decimus ſextus eſſet Sabbatum) cremabatur decimo ſeptimo : De utroque enim reſiduo accipio verba illa in codice Peſachim capite 7, §. 10. העצמות והגידין והנותר ישרפו בששה עשר חל ששה עשר להיות ישרפו בשבעה עשר &c. quæ Cochus ſua interpretatione ad agnum reſtringit. Statuo ergo religioſo ſchemate vitaſſe Iudæos pollutionem , & eo die quo Paſchalis agnus in cœna comedebatur ; & die altero quo teſte Buxtorfio Synagogæ Iudaicæ capite 14, cœnabant iiſdem ceremoniis quibus pridie.

Hæc meditanti incidit quod exiſtimo poſſe illuſtrare verſ. 31. ejuſdem capitis XVIII Iohannis , quando Iudæi reſpondent Pilato ipſis deferenti judicium de Chriſto ſecundum Legem ipſorum : ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Locus hic vulgo recepta expoſitione arripitur ad probandum , jam tum non habuiſſe Iudæos, ut olim , poteſtatem judiciorum capitalium , ſed hac quoque parte ipſis fuiſſe ablatum ſceptrum : quod tamen univerſim non admittit Muſculus , ſed reſtringit ad genus ſupplicii , crucifixionem : Muſculi verba hæc ſunt ; *Non erat verum quod hic dicunt : præſertim cum etiam*

iam hic diſertis verbis poteſtatem à Præſide, hunc Ieſum ſecundum legem ipſorum judicandi accipiant: Aliud agebant, volebant eum crucifigi : Id poteſtatis non habebant: Poterant eum alio mortis genere occidere, verum crucem elegerunt propter ſingularem illius ignominiam: &c. Et videtur certe ætiologia, quæ ſequenti verſu 32 adfertur, quare ita hæc gubernarit divina providentia, videlicet ut ſermo Ieſu impleretur quem dixerat, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν, non admittere ut in univerſum omnia judicia capitalia Iudæis fuerint adempta, ſi ſingulariter & præciſe prædicta crucifixio ex iſthoc Iudæorum reſponſo colligi potuit. Quid ſi verba illa οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν interpretemur, non quaſi dixerint ἐξουσίαν οὐκ ἔχομεν atque de poteſtate juriſdictionis intellexerint: ſed ſimpliciter, non licet nobis videlicet κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν, ut intellexerint id ſibi eo die nefas eſſe æque atque ingredi prætorium, propter Feſti & Sabbati ac Paraſceues religionem, juxta id quod ex Maimonide laudat Caſaubonus pag. 482. אין דנין דיני נפ שות לא ערב שבת
להרוג למחר ולא ערב יום טוב שמא יתחייב
ואין-אפשר *id eſt, Iudices rerum capitalium non judicant in paraſceue Sabbati, aut in paraſceue diei Feſti, quia non debet id fieri, & reus occidi poſtridie non poteſt.* Mihi iſthæc videntur optimus commentarius eſſe ad verſum 31. Atque ſic

relicta

relicta in medio controverſia de poteſtate juriſdictionis, ſufficit ad verſum 32 ex iſthoc Iudæorum reſponſo, Deum providentia ſua viam muniviſse conſilii ſui executioni quam prædixerat Chriſtus Matthæi xx. 19. *Tradentque eum Gentibus ut illudant & flagellent & crucifigant.*

Nam ſi ſimpliciter tradiderunt Chriſtum gentibus, quod poteſtatem juriſdictionis non haberent: aut ſi hoc fundamento nixa fuit Traditio illa, an dicemus ne flagellandi quidem poteſtatem habuiſse? contrariũ liquet Act. v, 40. Hæc obiter viſum eſt intertexere quia affinitatem habẽt ex hac interpretatione cum illo, ἵνα μὴ μιανθῶσιν ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα: & illuſtrant Iudæorũ hypocriſim.

III. Locus tertius eſt hic Iohãnis ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Erat Paraſceue Paſchatis* Ioh. xix. 14. Hinc argumentatur Caſaubonus: Si Dies quo Dominus eſt crucifixus, paraſceue fuit Paſchatis, nondum videlicet Paſcha præterierat: Atqui ſuum Paſcha Chriſtus celebraverat: Quare aliud Paſcha fuit commune Iudæorum, aliud Chriſti proprium. Non inepte mihi videtur reſpondiſse Toletus & Baronius, Paraſceuen Sabbati fuiſse: quæ tamen Euangeliſtę dicatur Paraſceue Paſchatis, quia accidit eo anno, ut idem dies eſset & Sabbati Paraſceue & dies ipſe Paſchatis; neque tamen mihi veriſimile ſit, ſingulos ſeptem dies Azymo-

rum

rum Paſcha dictos fuiſſe: Sed quidni Sabbatum illud ſingulariter Paſcha dictum fuerit, in quo repetitum fuit Paſcha, & feſtivitas inſtaurata? & ob cujus religionem, ut traditur in Rituali Hebræo-Germanico, die primo Feſti *fas eſt aſſare & coquere quæ illo Sabbato comedenda*: quod quid aliud eſt, quam ex die primo, quantumcunque ex divino præcepto ſanctus ſit, per conſtitutionem humanam facere paraſceuen, ac derogare religioni ipſius ob religionem diei ſecundi? Quid quod etiam extra hunc caſum in מנהגים Rituali multum detrahunt de religione primi diei Feſti Paſchatis, ratione agendæ diei illius, pronunciantes exſertis verbis: Eſſe illum minus ſacrum (mitt heylich) quam ר"ח Neomenia, aut חול המועד Dies Profano-Feſtus. Quibus verbis ut nuper obſervavi, diem primum deprimunt infra quemvis ex ſeptem diebus Azymorum.

IV. Quartus locus eſt Ioh. XIII, 29, ubi dicuntur Apoſtoli verba Domini ad Iudam, *Quod facis, fac citius*, ſic accepiſſe, quaſi ille dixiſſet, *Eme ea quibus opus habemus ad Feſtum*: hoc (inquit Caſaubonus) cum apud ſe cogitabant Apoſtoli, Feſtum intelligebant Paſchatis: nondum igitur advenerat Paſcha Iudæorum: at Domini Paſchalis cœna jam erat trãſacta. Quare diverſum fuit tempus Paſchatis Chriſti & Paſchatis Iudæorum.

At

At mihi non ſit veriſimile, diſcipulos celebrantes cum Chriſto feſtum Paſchatis die legitima ex lege, intellexiſſe diverſum Feſtum ex Iudaico computo poſtridie demum inchoandum, quaſi ejus cura Chriſtum ſolicitum haberet: Res autem ipſa loqui videtur, habuiſſe illos diem cum cœna ejus noctis inchoatam pro primo die Feſti; attamen juxta obſervationem Iudaicam ſimul pro paraſceue Sabbati, quo Paſcha eſſet repetendum. Niſi malimus hic quoque *τὴν ἑορτὴν*, accipere pro die artificiali illam noctem ſequuturo. quaſi Chriſtus aliquid deſiderans quod comparare aut emere neglexerat Iudas, illum feſtinanter emiſiſſet, ut cito illud emeret antequam ſerior nox occaſionem auferret. Ex qua tamen erronea aliquorum ex diſcipulis conjectura, nihil velim ſtatuere de re licita aut jure divino, ſed de Iudaica tantum obſervatione, ſeu quoad ſecundum diem Feſtum, ſeu quoad emptionem nocturnam.

V. Poſtremus locus eſt Ioh. XIX. 31. *Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν (ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου) ἠρώτησαν τὸν πιλάτον*, &c. *Iudæi ergo ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, quoniam paraſceue erat (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum.*

Quæritur, cur ab Iohanne Sabbatum illud

illud dictum ſit *dies magnus*. Caſaubonus definit, Illud Sabbatum, de quo Iohannes, appellatum fuiſſe diem magnum, propter concurſum primi Azymorum qui erat dies magnus. Æquipollent Caſaubono dies magnus & יום טוב ſeu dies feſtivitate aliqua ſolennis. Concurſum primi Azymorum, explicat per feriam Paſchatis ſeu primi Azymorum in Sabbatum tranſlatam, adeo ut appellatio diei magni Sabbato tributa ſit non propter ipſum, ſed propter feriam primi Azymorum.

Baronius cenſet dictum eſſe magnum diem Sabbati, quod non tantum Sabbatum eſſet, ſed etiam ſecunda Paſchæ diceretur: ſic unum eundemque diem duplici auctum celebritate magnum eſſe meritò nuncupatum.

Hanc ſententiam premit Caſaubonus hoc incommodo: Abſurdum eſſe, nec unquam probari poſſe (quod claris teſtimoniis Baronio probandum cenſet, ut illam reſponſionem tueatur) dies Azymorum ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, quoties in Sabbatum incidebant hanc vim habuiſſe, ut ipſum redderent diem magnum: ea ratione non duæ ſolummodo magnæ fuiſſent, inquit, feſtivitates Paſchales, ſed tres, accedente tertia ad duas omnibus notas diei primi & ſeptimi.

Liquet ex Rituali Hebræo-Germani-

co

Digitized by Google

co & Buxtorfii Synagoga Iudaica, tertium, quartum, quintum & ſextum diem Azymorum Iudæis cēſeri חול המועד Profano-Feſtos, niſi in Sabbatum incidant (halbe feyrtage:) Ac ſi ſecundus incidat in Sabbatum, diem primum quidem cenſeri יום טוב Diem Feſtivum, attamen minus ſanctum quam חול המועד Profano-Feſtos, quare vel non recta eſt nomenclatura ut quivis יום טוב nominetur Dies magnus: vel nihil obſtat quin etiam quilibet dies Azymorum qui teſte Buxtorfio cenſentur חול המועד Profano-Feſti, ſint dies magni, & concurſu ſuo ex Sabbato ordinario faciant Sabbatum magnum. At mea ſententia hæc eſt; Secundum diem Feſti Sabbatum in quod incidit reddidiſſe magnum, quia, ut dictum eſt ſupra in hoc caſu, primi diei religio eo uſque cedit religioni Sabbati, ut fas ſit iſto יום טוב Die Feſtivo primo Feſti aſſare & coquere quæ Sabbato comedenda: & in Sabbati cœna repetitur cœna primi diei ac feſtivitas inſtauratur: unde liquet diem iſtum ſecundum præter Sabbati religionem, etiam eadem continuata, quin inſtaurata feſtivitate ſolennem eſſe, quæ die primo inchoata eſt. Non deliravit ergo Baronius, quando dixit unam eandemque diem duplici auctam celebritate magnam merito eſſe nuncupatam. Ac liquet accuratius conſideranti cauſa manifeſta diſparitatis inter
diem

diem ſecundum & ſequentes alios, etiamſi in Sabbatum incidant: nullum enim quam ſecundum anteit immediate primus Feſti: quapropter non poteſt in Sabbatum, quod in illos dies incidit, derivari primi diei Feſtivitas inſtauranda.

VI. Sexto loco non militat contra Baronium Caſaubonus, ſed conatur illum extorquere Baronio locum, proferenti, ut ſuam quam tuetur ſententiam confirmet: eſt autem in verbis illis Ioannis XIIX, 39. *Eſt autem conſuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Paſchate.*

Ex his ita diſputat Baronius: Pilatus ait morem eſſe ut in die Paſchatis unum captivum in gratiam ipſorum liberet: ideinque Pilatus vult Chriſtum jam dimittere: Ergo is erat dies Paſchatis.

Contra cenſet Caſaubonus non eſſe urgenda illa verba ἐν τῷ πάσχα, ut à Baronio accipiuntur: ſed melius eſſe iſta interpretari laxe & ſimpliciter, tempore Feſti Paſchatis & Azymorum: nam ſi illa volumus urgere, Iure, inquit, miretur aliquis cur potius petitio iſta fieret poſt ſolennia Paſchatis peracta, quam ante: nimirum poſtquam & Chriſtus & Iudæi Paſchalem agnum comederant. Vrget autem Caſaubonus ex Matthæo & Marco, quod dixerint κατὰ ἑορτὴν liberationem hanc fieri ſolitam, tempore feſti hujus quod plurium fuit dierum: Atque adlubeſcit Caſaubono, id quod Bezę placet,

ut

ut verba illa extendantur ad feſta etiam alia nobiliora: etenim videtur ipſi articulus non temere prætermiſſus.

Atqui malim ego ſubſcribere huic ſcholio Cl. Piſcatoris in Matt. XXVII, 15. Κατὰ δὲ ἑορτὴν dictum eſt, pro κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν: ut ſcilicet articulo notetur Feſtum certum ἀναφορικῶς, nempe Feſtum Paſchatis: ut liquet ex collatione Iohann. XIIX, 39, ubi pro his verbis dicitur ἐν τῷ πάσχα. Et ratio probabilis afferri poteſt cur illum morem dimittendi aliquem vinctum inſtituerint in Feſto Paſchatis, videlicet in memoriam liberationis majorum ſuorum à ſervitute Ægyptiorum: qualis ratio non videtur afferri poſſe de feſtis reliquis, unde puto non eſſe hic vertendum, Singulis feſtis. Hactenus Piſcator.

Ex his porro in promptu eſt reſponſio ad dubium quod movet Caſaubonus tanquam abſurdum: Cur potius petitio iſta fieret poſt ſolennia Paſchatis peracta, quam ante, videlicet poſt comeſtum agnum Paſchalem. Ratio probabilis eſt hæc: Quia non ante ſed poſt peracta in Ægypto ſolennia Paſchatis primitivi, ac poſtquam agnum comediſſent contigit Exodus Iſraelitarum ex Ægypto: Atque ob hanc eandem, rationem, neque videtur petitio illa in alium diem Azymorum poſt primum differri potuiſſe.

VII. Pro confirmanda ſua ſententia contra

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

contra Baronium porro diſputat Caſaubonus ex loco Matth. XXVI, 5. Ἔλεγον δὲ μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. Verba ſunt, inquit, Iudæorum in Synedrio deliberantium ſuper capiendo & occidendo Chriſto. Quod conſilium ut ſine tumultu populi perduci ad exitum poſſet, non oportere die feſto manus in illum injicere de communi ſententia ſtatuunt.

Negari nequit probabile admodum hinc elici argumentum contra eam opinionem pro qua pugnat Baronius. Nam ſi decretum hoc ſervatum eſt, tuto affirmari poteſt, diem quo Chriſtus eſt captus, feſtum Iudæis non fuiſſe: quo poſito ſequitur neceſſario, diverſis diebus Chriſtum & Iudæos Paſcha egiſse. Hactenus Caſaubonus.

Baronium duo reſpondentem facit Caſaubonus: Non fuiſse hoc decretum ullo pacto religionis cauſa factum: neque etiam fuiſse id ſervatum. Sed reponit, Iudæis fas nō fuiſse diebus paraſceues, Sabbati aut Feſtorum judicia capitalia exercere, aut mortuos ſepelire: atque ea propter ſibi per videri mirum, quod negatur religionis reſpectum eſse habitum quando id decretum eſt factum: quum res de qua agebatur, ut ſi qua alia, religionem violaret: nam quid eſt quod religionem violat, inquit, ſi iſtud non eſt, capere, in jus rapere, ve-

xare omni contumelia, cædere, occidere? Niſi hoc prius vetaret, poſterius ſe facile conceſſurum, videlicet non fuiſse ſervatum id Senatuſconſultum.

Si quidem ipſis Baronii verbis hæc referret Caſaubonus, videlicet, eo ipſo quia Iudæi ſolo metu populi impediuntur, ne Dominum die Feſto crucifigant, probari, licuiſse talia præſtare Feſti tempore ſalva religione: ſane deliravit Baronius.

Inſpecto autem Baronio, ſi quidem ego ipſum aſſequor, ita ex æquo & bono accipio ejus ſententiam; Non pari religione vetita fuiſſe omnia, quæ concurrerunt in proceſſu Iudæorum contra Chriſtum & in Chriſti ſepultura: Ea autem quæ notoriam habuerunt violationem religionis, ipſos per palpabilem hypocriſin noluiſſe videri facere: ideoque illa facta eſſe Pilati miniſterio: quando nimirum à Pilati militibus tentus & perductus, ab iiſdem flagellatus, ac denique cruci affixus eſt Chriſtus.

Litem vero iſtam: an non illa quoque vetita fuerint, quæ ut licita Baronius excipit, nolim meam facere. Si non aliunde decidi illa poſſunt pro Baronio, quam ex Iudæorum facto, merito ipſi opponit Caſaubonus in facto aut conſulto ſceleſtiſſimorum Propheticidarum nullum eſſe rei licitæ, aut juris conſtituti argumentum, ſed tantum furoris illorum inauditi

auditi & contemtus Dei atque omnium rerum ſacrarum.

Sed mirari licet, quid ergo ex ſceleſtiſſimorum Propheticidarum conſulto, tanquam religionis cauſa facto, Caſaubonus ſatagat admodum probabili argumento elicere contra Baronium licuiſse aut non licuiſse feſti tempore, ſalva religione.

Et porro quoque per videtur mirum quod in quæſtione eadem de re licita (quando facit ſibi reſpondentes alios, Phariſæis & cæteris tanti criminis complicibus hæc fuiſse uſurpata, non quod illa crederent licita, ſed quia Legem & auctorem legis Deum ludibrio habebant homines perditi & ad omne ſcelus projecti) hæc eſt Caſauboni reſponſio: Ego cum illis potius ſentio qui arbitrantur iſtos medullam quidem & interiorem vim præceptorum divinorum nihili feciſſe, atque adeo ſuperbe contemſiſse: quum tamen exteriorem corticem videri vellent ſervare: meri hypocritæ, & vere, quod ait Dominus τοῖχοι κεκονιαμένοι: Hæc Caſaubonus parum, ut mihi videtur, conſtans ſibi, in eadem ſectione pagina 483.

Conſequentiam vero legitimam nullam video in iſta Caſauboni argumentatione. Decretum factum fuit religionis cauſa; quia res de qua agebatur religionem violat. Non negavit Baronius violatam

latam religionem re illa de qua agebatur. Sed hoc ait: non videri illos religionis cauſa, ſed ut commodius fieret, iſtud ipſum conſultaſſe: & mox; Ex ipſorum conſultatione argui, eos meditantes necem Chriſti nullam videri rationem habuiſſe diei feſti, cum dixerunt abſtinendum eſſe ne id fieret in die feſto, non pietatis ergo, ſed ne tumultus fieret in populo. Æquipollent Baronio, & recte, hæc duo, Religionis cauſa, & Pietatis ergo. Et omnino liquet ex conſultatione ipſa Iudæorum, religionem feſti ipſos neglecturos fuiſſe, ſi in ipſo feſto abſque tumultu ſperaſſent Chriſtum capi potuiſſe: adeoque etſi decretum fecerint de non violanda eo uſque feſti religione, non tamen id decreviſſe religionis cauſa aut feſti reverentia.

Verba vero iſta μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ accipio de die artificiali noctem illam inſequuto, quem cenſebant minus commodum, quia patranda eſsent omnia ſpectante populo, qui poſtquam dies illuxiſset ad feſtivitatem in panegyri eſſet congregandus: in quo, ſi tumultus oriretur, Chriſtus poſset elabi: itaque magis oportunam fore noctem, qua abſque metu tumultus caperetur & duceretur ἀσφαλῶς Marci XIV, 44. Dicam hac occaſione quomodo mihi videantur non incommode poſse explicari verba iſta Lucæ Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Vt enim cum

Caſaubono, pag. 472, interpreter, ut ſi dixiſset Lucas, Καὶ ἐπέφωσκεν ἡ σελήνη, ἢ ἄρχουσα τὸ σάββατον, quia ſcilicet illuceſcente & exoriente Luna ſimul exoritur dies naturalis, non poſsum adduci: neque videtur ſatis probari iſthæc interpretatio, quia apud Ariſtophanem dicit Strepſiades τὴν σελήνην ἄγειν τὰς εἰκάδας. Apparet quidem ex hac phraſi probam eſse quoque illam τὴν σελήνην ἄγειν τὸ σάββατον: ſed ut probaret ὅπερ ἔδει δεῖξαι, probandum erat Strepſiadem, qui indignabatur τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον ἀπέραντον, nimium quantum deceptum ex ſomno evigilaſse, atque hæc locutum Luna in plenilunio exoriente. Commodiſſimum exiſtimo verba Lucæ cap. XXIII, 54, Καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, non ita compingere in unum, ut vulgo fit, quaſi de una veſpera porrecta in primam noctem Sabbati ſermo eſſet, ſeu de duabus veſperis exeuntis paraſceues, & ineuntis Sabbati: ſed majori interpunctione à præcedentibus velim ſejungere poſtrema verba, Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Eſt enim, ſi animum advertas, in narratione Lucæ ab hoc verſu 54, uſque ad verſum primum ſequentis capitis incluſive ἡμερολόγιον tridui illius, quo Chriſtus jacuit in ſepulchro. De primo die ſunt verba iſta, Καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, quæ connectenda ſeorſim cum hiſtoria ſepulturæ: de ſecundo

cundo die ſunt ſequentia iſta, Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, quæ cohærent cum ultimis illis verbis hujus capitis, Καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν: de tertio die ſermo eſt initio ſequentis capitis verbis illis: Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, in quibus particula δὲ manifeſtum exhibet σύνδεσμον Hemerologii cum verbis illis, καὶ τὸ μὲν σάββατον. Ex qua Analyſi judico omnino ob lucem Solis, quæ die Sabbati luxit, dictum eſse σάββατον ἐπέφωσκε: atque hic notari, quod Chriſtus non noctem tantum Sabbati, ſed νυχθήμερον iſtud integrum in ſepulcro jacuerit: cum tertii diei auroram anteverterit.

Sectione 21, pag. 484, & ſequentibus diſquirit Caſaubonus ex hypotheſi iſta, de tranſlata feria Paſchatis in Sabbatum, Cur non ſit Chriſtus accuſatus, quod Paſcha ſeorſim celebraverit, non ex decreto Synedrii: & adlubeſcit ipſi ſententia nonnullorum: Sacerdotes libertatem, ſequendi potius verba Legis quam decretum ſuum, non ſuſtuliſſe. Fatetur ſibi quidem pro opinione Baronii hoc argumentum non pœnitendum videri: ſi decreto Synedrii ſolus Chriſtus cum ſuis non paruit, paradoxon eſſe, proditorem Iudam Sacerdotibus & Phariſæis hoc non indicaſſe; aut ipſos Phariſæos, cum prætextum criminandi Chriſtum apud populum anxie quærerent, & perdiu nullum invenirent, hac accuſatione uſos non

 fuiſse.

fuiſſe. Nam quantum, inquit, iſtud erat, auſum eſſe hominem privatum propria auctoritate, ſeparare ſeſe à totius Eccleſiæ communione, & quod in ipſo foret Pontificum maximorum & univerſi Synedrii decretum antiquare.

Tentat Caſaubonus ad apologiam pro Chriſto reſponſionem hanc: Quod etſi ut homo Legi fuit obnoxius, eamque exacte ſervarit toto vitæ ſuæ curſu, interdum tamen Legis Dominum egerit: ut, inquit, in hiſtoria porcorum demerſorum & ſimilibus apparet.

Sed potuit videre vir doctiſſimus pœnitendam eſſe hanc Apologiam, quando in confeſſo erat Chriſtum adhæſiſſe verbis Legis, & in promptu erat juſta accuſatio Iudæorum, quod auderent expreſſam Dei juſſionem ſuis decretis irritam facere. Quis non fateatur ex hiſtoria porcorum demerſorum & ſimilibus Chriſtum interdum Legis Dominum egiſſe? Sed hoc non obſtante, nunquam non ut homo exacte Legem ſervavit: atque etiam tum quando ad Deitatis manifeſtationem egit Dominum Legis, maxime ſe oſtendit hominem zelotam, quem zelus domus Dei devorabat, ac armabat, ne toleraret illos qui Legem non ſervabant. Vix ſatis mirari poſſem ſi ſerio Caſaubonus id voluit, Chriſtum in diei legitimi ex Lege obſervatione, quando Synedrii decreto ſubjici noluit,

ſed

ſed ſeceſſionem potius fecit cum ſuis diſcipulis, ac ſeorſim ab illis Iudæis comedit Paſcha; egiſſe Dominum Legis. Fuit potius hoc ἀκριβῶς agere πληρώτην τοῦ νόμου γενόμενον ὑπὸ νόμου: ſed qui jugo ſervitutis humanarum traditionum nollet indui. Quare non neceſſe erat hic exceptionem facere ab hypotheſi illa generali quam inter prolegomena hujus diſſertationis verbis Caſauboni ex pag. præſertim 471 expreſſi.

Sed à pœnitenda hac reſponſione confugit ad aliam, qua dubia hæc ſolvat, Quomodo fieri potuerit ut ille Pater familias, ad quem miſit Chriſtus, non obſtupuerit ad hunc nuncium, aut ſibi non metuerit: cur etiam aut Iudas hoc ſiluerit apud Sacerdotes, aut Sacerdotes apud populum. Ioh. Maldonatus, inquit, ad has objectiones reſpondet. Non potuiſſe Patrem familias Chriſti factum mirari, qui ignorare non poſſet ex Legis Dei præcepto Paſcha celebrandum ea die qua Chriſtus celebravit, utut ex decreto Synedrii aliter eo anno fieret: Sacerdotes quoque qui Chriſtum accuſarunt aut ignoraſſe ipſum ea nocte Agnum comediſſe; aut non auſos eſſe id crimen objicere, quum ſcirent Dominum ex Legis præſcripto ſuum Paſcha celebraſſe. Quid commodius, inquit Caſaubonus, ad hac objecta reſponderi queat non video.

Verum enimvero non uno incommodo

do laborat hæc reſponſio. Nam ſi Chriſtus hoc egit ut Iudæos lateret ipſum ea nocte Agnum comediſſe, diſſimulatione uſus fuerit, quod abſit: Si cum latere vellet, at non poſſet per Iudam, Sacerdotes tamen ea diſſimulatione uſi ſint, ut videri noluerint ſuſtuliſſe libertatem ſequendi potius verba Legis, quam decretum ſuum: Quid efficitur aliud quam ſyncretiſmus & mutua tolerantia, qua Iudæorum decretum tolerarit Chriſtus, contentus ſe in ſervitutem ejus non redigi: & tolerarint Iudæi ſeceſſionem Chriſti, quod tacita tantum eſſet non publica redargutio decreti ipſorum. Atqui mutua illa tolerantia ante omnia indigna Chriſto & zelo domus Dei, qui ipſum devoraverat: deinde aliena prorſus à furore ſceleſtiſſimorum Propheticidarum, in quem maxime illos rapiebat zelus decretorum & traditionum, potiſſimum illarum quas palliare poterant hoc ſchemate (quod ipſe Caſaubonus hic obſervavit) non antiquare ſe Dei juſſionem, verum interpretari & commodiorem illius uſum docere.

Hactenus ergo arbitror, neque demonſtraſſe liquide virum doctiſſimum ex Iohanne τὸ ὅλ Tranſlationis feſti Paſchatis in Sabbatum; nec ſolide confutaſſe argumenta quæ militant pro contraria ſententia.

Obiter autem ſect. 13 proponit verba

ba Ioſephi Scaligeri ex lib. 6 de Emendatione temporum, in Diatriba de paſſione Domini, quæ lubet hic quoque conſiderare: *Prima Azymorum*, inquit Scaliger, *Chriſtus comedit Paſcha Matth.* XXVI, 17, *in qua immolabat Agnum. Marci* XIV. 12. *Sed quomodo prima Azymorum feria quinta? quum poſtridie eſſet prima Azymorum, quartadecima Niſan feria ſexta? interpretatur Lucas*, ἐν ῇ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα cap. XXII, 40, *in qua oportebat mactare Paſcha: Sed Iudæi* ἔθυσαν *quidem poſtridie, at non utique* ῇ ἔδει θύειν: *quartadecima enim Luna immolandum erat, non quintadecima: At Chriſtus quarta decima immolavit*: & mox: *Quare quartadecima fuit feria quinta, in qua Chriſtus rite agnum comedit, &c.*

Relicta in medio quæſtione illa, quæ hic intercurrit, quomodo feria quinta dicatur prima Azymorum; ſpecto in verbis Scaligeri quomodo enantiophanes, in cujus ſolutione laboratur ad conciliationem narrationis Euangelicæ de die qua Chriſtus Paſcha egit, & qua id egerunt Iudæi, ex Luca ſolvere conatur. Ac fateor me non videre ſolidam ullam cõſequentiam, qua ex teſtimonio iſto Lucæ, quod Chriſtus illa die Paſcha immolarit, in qua oportebat mactare Paſcha, id elicias. Ergo Iudæi poſtridie immolarunt, quando minime oportebat. Non habent verba illa ullam Antitheſin ne-

ceſſariam facti Chriſti & Iudæorum: ſed relationem tantum juris & juſſionis divinæ, ad Chriſti obedientiam, qua hac quoque parte Legem implevit.

Defunctus itaque examine diſputationis Caſaubonianæ, adeo me non pœnitet eorum quæ nuper cœpit diſputare pro Broughtono, ut valedicam non tantum tecum poſt Cochum opinioni iſti de tranſlatione feriarum: quin niſi aliis rationibus ſolidioribus cedere cogas, paratus ſim quoque valedicere in ſolidum ſententiæ iſti de diverſa feſti & Paraſceues die quam Chriſtus & quam Iudæi obſervarint.

Quod ut tibi, Vir doctiſſime, porro perſuadeam; velim mecum revoces ad accuratius examen, hypotheſin novam, qua ſtatuminare conatus es ſententiam illam; exiſtimans arceſſendam cauſam diverſitatis inter diem qui Chriſto, & illum qui Iudæis fuerit Paraſceue; ex vario menſis initio: ut vera Paraſceue, quam Servator noſter obſervavit, fuerit dies qui ſecundum naturam & veram Lunæ apparitionem eſſet decimus quartus: Iudæis vero is dies ex Senatuſconſulto demum fuerit dies decimus tertius.

Agnoſco propter dubitationem de menſis vero & naturali initio Iudæos feſtivitatem die decimoſexto inſtaurare: atque adeo ut ex ſententia Rabban Io-
chanan

chanam apud Cochum, & ex Buxtorſio Synagogæ Iudaicæ capite 14 liquet, duos dies Paſcha celebrare. At nondum video quomodo hinc conſequens ſit Chriſtum biduum illud Feſti Iudaici antevertiſſe, ut ex Legis juſſione Paſcha celebraret. Tantum enim abeſt, ut per biduum Senatuſconſulto aſſignatum Paſchati ſuſpicio eſſe potuerit de procraſtinatione, qua verus & naturalis dies ipſis elaberetur: ut potius periculi metus, ne forte primo die ipſis Feſto verum Feſti diem antevertiſſent, occaſionem dederit biduum aſſignandi ex Senatuſconſulto. Quapropter non video, quomodo citra biduum illud (in quo, propter metum, ne forte Paſchatis celebratione defuncti eſsēt, antequam ejus ritus tempus legitimum adveniſset, dies ſecundus primo erat ſuccenturiatus) Chriſtus Iudæos antevertere potuerit aut debuerit: ſaltem quomodo alicui in mentem venire potuerit Dominum citra illud biduum ex Legis præſcripto Paſcha celebrare: nec porro ſi apud Iudæos Chriſtus à ſpecie mali liber eſse non potuerit, quomodo calumniæ non iverit obviam; nec factum ſuum munierit juſta Iudæorum accuſatione, quod bis antiquarent Dei juſſionem.

Concludo plana eſſe omnia, nec hærere poſse ſcrupulos, ſi dicamus Chriſtum Paſchate ſuo, die primo feſti defunctum

 fuiſse:

fuiſse: Iudæos vero , etiãſi eadem die atque hora qua Chriſtus, agnum Paſchalem comediſsent , non exiſtimaſse ſe defunctos , ante feſtivitatem poſtridie inſtauratam & repetitum Paſcha iiſdem cæremoniis in cœna . Atque ex hac ſuperſtitione factum, ut quidem accuſare non potuerint Chriſtum, neque vel ſpeciem mali ipſi tribuere: eſset tamen ipſis majori religione ſacer dies ſecundus quam primus Feſti ; atque hic habitus pro paraſceue ſimul & Sabbati & Paſchatis Sabbato repetendi. Vale & Salve amiciſſime cum tuis, &

—ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non,his utere mecum.

Deus te diu ſoſpitet , tuiſque ſanctis laboribus benedicat.Iterum Vale,ac me amare perge.

Tuus ex animo totus

IOHAN. CLOPPENB.

Brielæ, 13 Octobris, 1632.

IOHAN.

IOHAN. CLOPPENBVRCH

Amſtelodamenſis

TRACTATIO

De Sabbato Deuteroproto.

Luc. VI, I.

MVltum vexavit & exercuit viros doctos interpretatio vocis δευτερόπρωτον, qua indigetatur Sabbatum illud Luc. VI, I. Ante Scaligerum vulgo cenſuerunt compoſitam eſse ex duabus integris vocibus iſtis δεύτερον πρῶτον. Scaliger id exſibilat: *Id ad verbũ* inquit *Hebraice eſſet* מאחר מקודם, *aliter* ὕστερον πρότερον, *Latine præpoſterũ, quo nihil præpoſterius dici potuit,&c.* Ipſe verò revocat nominis notationem ad τὴν δευτέραν τοῦ πάσχαλίου: quod ſit ἀπὸ τοῦ δευτέρας πρώτων: A craſtino Paſchatis primum Sabbatum in computo Pentecoſtes. Hanc Viri illuſtris conjecturam adoptat Mathias Martinius in doctiſſimo Etymologico ſuo. Sed necdum interpretatio iſta à doctis omnibus aſsenſum mereri vel exprimere potuit. Nuper Viro Doctiſſimo atque in Rabbinorum ſcriptis exercitatiſſimo, mihique amiciſſimo placuit conjectura alia: Vt Lucas nominaverit δευτερόπρωτον, q. d. ſecundum primum Sabbatum,

tum, ſecundum ab eo quod primum vulgo vocabant, in computo quatuor Paraſcharum, quas appellant 1. שקלים. 2. זכור. 3. פרה. 4. החדש. Fueritque vel ante ſecundum à Chriſti Baptiſmate Paſcha, ideoque eo anno quartus dies Martii, vel ante tertium Paſcha, & inciderit in 6 Kalend. Martii, vel ante quartum Paſcha, 17 Kalend. Aprilis. Bona cum amici venia, lubet ſymbolam noſtram quoque conferre. Placet initio, quod Sabbatum δευτερόπρωτον collocet, non poſt, ſed ante Paſcha: & quidem in cenſu quatuor iſtorum Sabbatorum quæ jam recenſui, atque hactenus me ipſi Minerval debere profiteor. Verum enimvero mihi Sabbatum δευτερόπρωτον eſt, non ſecundum; ſed nec primum ex iſtis quatuor, ſed quartum, quod nuncupant החדש. Quod tametſi in hoc cenſu poſtremum ſit, nulla tamen præpoſteritate laborat mea aſsertio: ut planum fiet cum bono Deo ex ſequenti tractatione. Hic autem præcognoſcere oportet quatuor dictorum Sabbatorum Kalendarium, & digeſtionis rationem. Damus autem illud erutum ex Iudæorum tabulis ritualibus, & quidem perpetuum: aliud enim ſchema non occurret in quocunque anno dato: neque ut occurrat patitur Canon de Feriis rejiculis dictus Badu: quo etiamſi cenſeamus non eſse ſtandum ad cadendum in cõtroverſia de die aut Paſchatis Hieroſolymis

lymis à Chriſto aut Iudæis olim celebrati, attamen illi & ſimilibus aſtricta eſt Calendarii digeſtio.

Dies Schebat anni communis vel Adar anni Embolimæi:

25	ז. שקלים	ה	ג	א
26	א	ו	ד	ב
27	ב	ז. שקלים	ה	ג
28	ג	א	ו	ד
29	ד	ב	ז. שקלים	ה
30	ה	ג	א	ו

ר״ח Adar anni communis vel Veadar anni Embolimæi.

1	ו	ד	ב	ז. שקלים
2	ז. הפסקה	ה	ד	א
3	א	ו	ג	ב
4	ב	ז. הפסקה	ה	ג
5	ג	א	ו	ד
6	ד	ב	ז. הפסקה	ה
7	ה	ג	א	ו
8	ו	ד	ב	ז. זכור
9	ז. זכור	ה	ג	א
10	א	ו	ד	ב
11	ב	ז. זכור	ה	ג
12	ג	א	ו	ד
13	ד	ב	ז. זכור	ה
14	ה פורים	ג. פורים	א. פורים	ו. פורים
	*	**	***	****

	*	**	***	****
15	ו	ד	ב	הפסקה ז.
16	והפסקה ז.	ה	ג	א
17	א	ו	ד	ב
18	ב	פרח ז.	ה	ג
19	ג	א	ו	ד
20	ד	ב	פרח ז.	ה
21	ה	ג	א	ו
22	ו	ד	ב	פרח ז.
23	פרח ז.	ה	ג	א
24	א	ו	ד	ב
25	ב	החדש ז.	ח	ג
26	ג	א	ו	ד
27	ד	ב	החדש ז.	ה
28	ה	ג	א	ו
29	ו	ד	ב	החדש ז.
	Niſan.			
30. 1	החדש ז.	ה	ג	א
1. 2	א	ו	ד	ב

Incidunt quatuor iſthæc ſchemata ex ordine in annos quatuor continuos 1633, 1634, 1635, 1636, ex quibus primus & tertius ſunt communes, ſecundus & quartus Embolimæi in Cyclo Iudaico. Schema autem primum recurret annis communibus 1640, 1643, 1646, & anno Embolimæo 1647.

Philippus Lansbergius p. m. affirmat in Chronologia ſacra, Veadar habere ſemper dies triginta: Reclamant Iudæorum tabulæ, & Canones, quibus digeſtio Calendarii

lendarii ipſorum adſtricta eſt. Sic enim Iudæorum Seder Tephilloth אשבנזי pag. editionis Venetæ קבוע אדר סמוך לניסן זב"רו סימן מוומן ומחוסן. Senſus eſt, Neomeniam Adar proximi ante Niſan ſemper incidere in feriam 7, 2, 4, 6, non in alias, cujus memoriale eſt זב"רו. Per Canonem autem Badu memoriale pro Neomenia Niſan eſt אג"הו, id eſt, Feria 1, 3, 5, 7. cæteræ enim ſunt rejiculæ: inter utrumque memoriale non eſt majus intervallum quam dierum 29, Confirmat idem Canon alter qui exſtat in Seder Tephilloth ספרדי editionis Venetæ, & in Spicilegio Computi apud Scaligerum: לעולם לא זב"ד פורים. Senſus eſt, feſtum Purim ſemper eſſe 14 Adar vel Veadar, nec unquam feria 7, 2, 4, atque intervallum inter Purim & primam feriam Paſchatis nunquam majus eſſe diebus 30. Quapropter fieri non poteſt, ut poſt diem Purim reliqui ſint pro Adar vel Veadar dies plures quam quindecim. Non me latet Genebrardum in Calendario Hebræo, quod Pſalterio Græco-latino præmiſit, menſem Veadar facere dierum 30, ſed qua fide non liquet. Porro rationem digeſtionis, quam exhibemus, ſic explicant Iudæi.

1. Stante Templo קרבנות dona Neomeniæ Niſan emi debuerunt precio dimidii ſicli ab Iſraelitis oblati: quapropter juſto menſe ante promulgatum fuit, ut

ut ſiclum quiſque ſecum deferret, atque ſub Kalendas Niſan in promptu haberet. Hanc ob cauſam initium facit Paraſcha שקלים. Adeoque quando Neomenia Adar incidit in ſeptimanã, Paraſcha illa transfertur in Sabbatum antecedens: nam ſi poſt Neomeniam differretur, non eſſet juſtum menſis intervallum. Si Neomenia Adar incidit in Sabbatum, legitur Paraſcha in Sabbato ipſo: nam nihil de juſto menſe decedit.

2. Paraſcha זכור debet eſſe proximo Feſto ante Sabbatum Purim.

3. At Paraſcha פרה & החדש debent eſſe poſt Purim.

4. In Paraſcha החדש fit denunciatio in ſeptimanam ſequentem incidere Neomeniam Niſan, ut ſe accingant ad iter.

Et quia Neomenia Niſan eſt principium omnium menſium, propterea legitur Paraſcha illa החדש הזה לכם: quapropter etiam quando Neomenia Niſan incidit in Sabbatum, legitur Paraſcha in ipſa Neomenia.

5. Neomeniæ Adar ſemper datur biduum. At à ſecundo die fit initium computi dierum Adar. Si ſecundus ille dies Neomeniæ eſt Sabbatum: in Neomenia legitur Paraſcha שקלים in ſequenti Sabbato Paraſcha זכור & in שושן פורים eſt הפסקה id eſt, Pauſa: deinde invicem ſequuntur continuatis Sabbatis Paraſchæ פרה & החדש: Si ſecundus ille dies Neomeniæ

meniæ eſt dies, Lunæ Paraſcha שקלים occupat Sabbatum antecedens Neomeniam Adar, & ſequenti Sabbato die ſexto menſis eſt הפסקה. Si ſecundus dies Neomeniæ eſt dies Mercurii, Paraſcha שקלים ſimiliter occupat Sabbatum antecedens, & ſequenti Sabbato die quarto menſis Adar eſt הפסקה. Si idem eſt dies Veneris, Paraſcha שקלים, ut ſupra, occupat Sabbatum antecedens: & Sabbatum ſequens, ſecundus dies menſis eſt הפסקה una, & Sabbatum poſt eſt והפסקה id eſt, Pauſa altera, propterea quod continuo invicem ſemper ſequuntur Paraſchæ פרה & החדש. Hæc hactenus Hebræorum magiſtri in מנהגים ſeu Rituali Hebræo-Germanico. Ex quo lubet attexere obiter, propter argumenti affinitatem, quomodo ab hac aſtricta Calendarii ratione diſtinguant חשבון ארץ ישראל *Computum terræ Iſraelis.* Profitentur enim, ſe, quia dubium ipſis eſt menſis Niſan initium, Wenn man das חדש ſol מקדש ſeyn/von ספק wegen / ſemper biduum aſſignare Paſchati. Nam poſſe accidere, non tantum ut teſtes de novæ Lunæ apparitione non advenerint ante diem triceſimum Adar, quo caſu quidem ſalvus adhuc eſt calculus (cum teſtium enim adventu diem quem cœperunt cenſere 30 Adar migrare in Calendas Niſan) Verum etiam accidere, ut elapſus ſit dies 30 ante teſtium adven-

adventum: atque hoc demum caſu Adar eſſe dierum 30: atque ſic fieri ut dies 31, demum ſit 1 Niſan: & dies qui computo communi eſt 16 Niſan, juxta computum terræ Iſraelis demum ſit 15: & qui communi computo eſt octavus Paſchatis, computo Iſraelitico demum ſit ſeptimus.

Veniamus jam in rem præſentem, atque demonſtremus quomodo abſque ulla præpoſteritate, poſtremum ex quatuor quæ digeſſimus Sabbatis aſſeramus eſſe ipſiſſimum Sabbatum δευτερόπρωτον, *ſecundum primum*, rejecta iſta vocis interpretatione, qua δευτερόπρωτον ſit vel πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας, vel in hoc Calendario quod exhibuimus δεύτερον ἀπὸ τοῦ πρώτου.

Extra controverſiam eſt, in Lectionariis Iudæorum, quibus digeſtæ ſunt Lectiones Sabbatinæ, primum cenſeri omnium Sabbatorum totius anni Sabbatum dictum שבת בראשית: quod in quovis anno dato incidit in 24, vel 26, vel 27, vel 29 menſis Tiſri: poſt impoſitam Paraſcharum lectioni anniverſariæ coronidem die Tiſri 23, quam vocant שמחת תורה, à quo die, ſi longius differatur Feria primi Sabbati, cenſeo ego ad moræ illius compenſationem eſſe; quod, teſte magno Buxtorfio, ſimul quando Legem abſolvunt, adjiciunt etiam ſectionem primam.

Præter iſthoc primum Sabbatum mihi rur-

hi rurſus primum eſt Sabbatum dictum שבת החדש, propter Paraſcham Exo. 12. החדש הזה לכם, quâ Neomenia menſis Niſan conſtituitur divina indictione, Neomeniarum prima. Quod Sabbatum, ut apparet ex Calendario, in quovis anno dato incidit vel in ipſas Kalendas Niſan, vel retrocedit ad 29, vel 27, vel 25 Adar aut Veadar.

Ab utroque Sabbato tanquam à primo Sabbata in orbem numerantur per univerſum annum, quâ Politicum, quâ ſacrum. Sabbatum בראשית primum cenſetur abſolute ob memoriam primæ creationis quam habet iſta Paraſcha: ex hypotheſi, quod iſta inciderit in Autumnū: non autem ob menſis Tiſri Neomeniam, quia inter Neomeniam Tiſri & hoc primum Sabbatum, in quovis anno dato intercurrunt tria Sabbata ultima anni civilis: poſt quæ coronidem diximus imponi ſemper 23 Tiſri.

Sabbatum autem החדש primum cenſetur ab indictione Neomeniæ Niſan: ac tametſi non ſemper in ipſam Neomeniam incidat, & quando non incidit, in menſe Adar conſtituat ultimum Sabbatum anni ſacri: ob illius tamen indictionis Paraſcham una opera primæ ſolennitatis novi anni ſacri vicarium eſt.

Si quæras, quomodo id Sabbatum ſecundum primum, ad verbum eſſet Hebraice: reſpondeo me abſolute primum vocare

vocare ראשון.at ſecundum primum וראשון eadem: Analogia qua *δεύτερος* Adar eſt ואדר, & in Sabbatis illis quæ digeſta exhibemus *δευτέρα* Pauſa eſt והפסקה, alias dicta הפסקה שנייה: Suffragatur mihi & in re ipſa & in Hebraica nomenclatura Seder Tephilloth אשכנזי in cujus editione Veneta pag. 180 verſa & ſequentibus, ubi ventũ eſt ad ſolenne hujus Sabbati החדש: diſtincte & de menſe Niſan & de Sabbato ſic loquuntur:

הוא נקרא ראש וראשון
ומועדו נקרא ראש וראשון

atque cum Battologia decies ſexies occinunt illud

ראש וראשון

quod ego ex Analogia jam dicta interpretor *ἀρχὴ δευτερόπρωτος* principium ſecundum primum. Confirmat hanc interpretationem, quod mox præmiſſa mentione intervalli ſemeſtris שׁשה קץ חדשים, pronunciant iſtoc Sabbato fieri novam aperturam Sabbatorum & menſium בשבתות ובחדשים, atque ſubjiciunt hæc verba כי כמו היה ראש לכל חדש כן יהיה ראש לכל חדש. *Quemadmodum fuit principium omnium menſium, ſic erit principium omnium menſium.*

Confirmant hæc non tantum Aſſertionem meam, ſed etiam muniunt eouſque, ut propter hæc duo prima Sabbata, alia prima non veniant in hunc cenſum: quæ enim præter hæc duo primi indigitatione

ne veniunt, prima tantum ſunt minori aliquo computo & particulari Sabbatorum duorum vel quatuor: is vero quicunque minor computus hic non attenditur: ſed univerſalis, qui pervadit omnes menſes totius anni, cujus principium utrumlibet eſt ראש לכל חדש. Sabbatorum ergo iſtorũm quatuor, quam exhibuimus, coordinatio non præſcribit, quominus quod ibi quartum & poſtremum eſt, univerſali computo Neomeniarum, primum ſit: quemadmodum nec præſcribit, quod in iſto numero quaternario primum indigitetur Sabbatũ שקלים vel quod primi & ſecundi indigitatione veniant duo illa Sabbata, quæ inter iſta quatuor intercurrunt, videlicet הפסקה & והפסקה: & ſimiliter quod eadem indigitatione veniant duo alia quæ Iudæi in *Seder Tephilloth* vocant ראשון דחנוכה & שני דחנוכה *Primum & ſecundum Encæniorum.*

Nullus dubito, quin ſi Euangeliſta computum iſtiuſmodi particularem attendiſſet quatuor Sabbatorum, uſurus fuiſſet alia aliqua adjectione, abſque qua non eſt Lectori obvius calculus ille minor: præſertim quia nec ſtatus eſt, ob intercurrentia quandoque duo Sabbata, quæ & ipſa primi & ſecundi indigitatione veniunt, ut jam oſtendimus. Obvius vero cuivis eſſe poteſt computus duplex Sabbatorum, pro duplici principio anni, Civili

Civili & Sacro; & æra duplici, Mundi conditi, & Exitus ex Ægypto.

Iam ex hac Aſſertione noſtra porro conficitur, Fruſtra eſſe qui ex Lucæ VI, 1. & Ioh. V, inter ſe collatis, eliciunt duo Paſchata diverſa. Quid enim vetat, quo minus idem utrobique deſignetur? hic ut præſens ſeu jam præteritum, illic ut poſt ſeptimanas duas vel tres adfuturum.

Fruſtra quoque eſſe videntur, qui ex denominatione iſta δευτεροπρώτυ conantur ſingularis anni qualitatem & charaɛterem elicere: nam liquet eſſe in quovis anno dato δευτερόπρωτον Sabbatum iſtud à Paraſcha ſua denominatum החדש.

Iam tempus eſt, ut illuſtremus locum Euangeliſtæ: Fœneramur noſtra aſſertione tres vel minimum duas (Sabbato iſti quo ariſtas decerptas manducarunt diſcipuli,) ſeptimanas ad frugum maturitatem: præ iſta hypotheſi quæ viro amiciſſimo placuit de ſecundo Sabbato poſt primum in quaternario computo: adeo ut nulli docto hic ſcrupulus hærere queat, quin potuerint maturuiſſe præcoces ſaltem ariſtæ. Quin ſi inſpiciatur locus Ioſephi Scaligero laudatus *Can. Iſag. pag.* 217, apparebit: Fuiſſe circa initium menſis *Niſan*, inchoatam ordinariè meſſem aliquam, iſthoc fini, ut haberent Hieroſolymam euntes, unde in Feſti Paſchatis craſtino manipulum offerrent. Sic Ioſephus, τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ

(ἕκτη

(ἕκτη δὲ ἔστιν αὕτη καὶ δεκάτη) τῶν καρπῶν, NB. οὓς ἐθέλουσιν (οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν) μεταλαμβάνουσι. Et mox: Καὶ μίαν ἐξ αὐτῶν δράκα ἐπιβαλόντες τὸ λοιπὸν ἀφιᾶσιν ἐς χρῆσιν τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν.

Manifeſte inchoatam ſacram meſſem, ex qua ſumitur manipulus, præmittit meſſi publicæ ſeu univerſali. Verba autem illa, οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν, intelligenda ſunt non quaſi ante diem oblationis manipuli, falcem nullam miſerint in meſſem: nam abſque hoc, quomodo cunctis à quibus offerri debuit, potuit manipulus demeſſus ad manum eſſe. Neque locus Deuteron. XVI, 9, cogit credere eodem die demeſſum & oblatum fuiſſe.

Sed verborum Ioſephi & Moſis ſenſus & ſcopus idem: Nefas fuiſſe, meſſis illius inchoatæ fruges delibare in cibum privatum: aut meſſem conſummare falce promiſcue in ſegetem immiſſa ante manipulum craſtino Paſchatis oblatum; illa ſiquidem oblatione meſſis à Deo redimenda erat.

Atq; hic eſt verus commentarius in Iudæorum illam criminationẽ, quando inquiũt, τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι; Luc. VI, 2. Quia præcepti divini religione abſtinendum erat à frugum novarum manducatione tantiſper, dum oblatus foret manipulus: ſacrilegam fuiſſe

iſtam

iſtam deliberationem, qua famem ſuam explebant diſcipuli: atque illud *ἐν τοῖς σάββασι* non accipio præciſe aut ſolitariè de Sabbato iſthoc quo iſta acciderunt, ſed una de ſeptimanarum iſtarum intervallo à Sabbato החדש ad *τὴν δευτέραν τοῦ πάσχατος*.

Atque ſic evidens apparet neceſſitas, quare tam ſeria Apologia Chriſtus uſus ſit, à caſu neceſſitatis, in quo licuerit olim Davidi abſque ſacrilegio famem explere panibus *τῆς προθέσεως*, quibus alias nemini fas erat veſci quam Sacerdotibus. Certe videntur hæc gratis dici, & nihil ad Rhombum, ſi in futili illa ſuperſtitione de tantillo opere manuum vellentium ſpicas & confricantium in Sabbato ſubſtiterit accuſatio; non velata ſontica aliqua cauſa.

Mantiſſa.

IN eo eram, ut, quæ ſuper hoc argumento commentatus eram, Typographo (quicum egeram Amſtelredami,) ſubmitterem; cum præter omnem exſpectationem ſe offert in *Eclogis Chronologicis Samuelis Petiti*, quæ *Pariſiis* prodierunt anno 1632, (in quas Lugduni Batavorum incidi menſe proximo Ianuario,) quod diſſimulare Lectorem nolui, cui Paradoxa forte videbitur noſtra Aſſertio, quia nova. Senſit ante me Vir doctiſſimus,

mus, id quod meæ Aſſertionis caput eſt, Fuiſſe duo Sabbata prima: Vnum quod appellatur ἁπλῶς Sabbatum primum, & cadebat in menſem Tiſri. Alterum etiam appellatum Sabbatum primum, ſed tamen cum diſtinctione δευτερόπρωτον iterum primum, & cadebat in menſem Niſan. Vidit inſuper, objeciſſe Phariſæos Luc.VI,2, quod facerent ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν, ob hanc cauſam quod non liceret quicquam de novis frugibus deguſtare ante oblationem Omer. Atque ita intelligendam eſſe Phariſæorum cenſuram, colligit è Domini reſponſo quando illud tuetur exemplo Davidis, qui comedit cum ſuis τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς. Non poſſum quin mihi gratuler cogitationes Viri doctiſſimi, qui albus an ater ſit neſcio, ac cujus nomen ad hunc uſque annum mihi inauditum erat, cum meis coincidiſſe.

At non convenit ipſi mecum in Hypotheſi, quando primum Autumnale Sabbatum ipſe refert ad diem VII Octobris, Alterum autem primum ſeu δευτερόπρωτον ad III Aprilis, ac ſigillatim illud Luc.VI, ad XIII Niſan, Anno Dionyſiano, Chriſti 28, Cyclo Solis 9, literis Dominicali D.C.

Vt largiar quod petit de anno iſthoc: Sabbatum δευτερόπρωτον iſtius anni mihi incidit ſervato Epilogiſmo Iudaico, quẽadmodum cadet hoc anno currente 1634

in 27 menſis proximi ante Niſan: qui tunc fuit Adar, hoc autem anno eſt Veadar. Erat enim is annus Iudaicus communis abundans, cujus Neomenia Niſan erat feria tertia: juxta Canonem Badu. Quod enim Lansbergius, & hic vir doctiſſimus Neomeniæ aſſignant feriam ſecundam, & XIII Niſan Sabbatum, id libere faciunt præter aſtrictam illam Calendarii Iudaici rationem: quod ſi placet, ergo mihi Sabbatum *δευτερόπρωτον* inciderit in 28 Adar propridie Kalendas Niſan. In applicatione Kalendarii Romani video non convenire Viri Doctiſſimi Epilogiſmũ cum Lansbergii; illi enim Kalendæ Niſan inierunt 22 Martii, huic 15 Martii. Non facio jam illam litem meam: ſed maneo intra Calendarium Iudaicum: ac profiteor nondum me pœnitere meæ Aſſertionis, poſt expenſa ea quæ Vir doctiſſimus poſuit munimenta ſuæ hypotheſeos. Iudicium eſto penes eruditum lectorem. Lubet autem ſymbolam meam conferre ad explanationem locorum potiſſimum duorum, quos tractavit Petitus. Prior eſt olim Scaligero laudatus locus è libro *ψευδεπιγράφῳ τοῦ κηρύγματος Πέτρου* apud Clementem Alexandrinum lib. VI Stromat. Edit. Commelin. pag. 270. *Καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον. οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν.*

Scaliger

Scaliger exiſtiinat primum hoc Sabbatum eſſe ראש השנה ſeu Neomeniam Tiſri, quæ Sabbatum cenſeatur, quia Feſtus dies *καὶ ἀεργὸς*. Caſtigat hanc interpretationem Petitus: neque admittit ut Neomenia Tiſri dicatur Sabbatum, niſi incidat in Feriam ſeptimam. Caſtigat ſimiliter quod idem in Canonibus Iſagogicis pag. 191 exiſtimavit intelligendam eſſe *τὴν τριακάδα* ſive *ἕνην καὶ νέαν*, quam (ut cenſet) Vetus lingua Bibliorum כסא appellat, Horatius Triceſima Sabbata Sermonum lib. 1, Satyra 9.

Quoniam auctor hic apud Clementem ſcribat Sabbatum primum non fuiſſe obſervatum *ἀπὸ τῆς φάσεως*, ſecundum Lunæ viſionem: atque ea propter non convenire Etymon כסא juxta Scaligerum ex Aben Eſra & Chaldæo Paraphraſte Pſal. 81, de principio illo Novilunii quando adhuc Luna occultatur: Proba ſane caſtigatio ſuppoſita iſthac interpretatione & Etymo vocis כסא, quod jam non tangimus: neque enim conſentiunt docti.

De Horatio, ſi Petitum aſſequor, Scaligerum ſequitur, appellaſſe Neomenias Sabbata triceſima: ac exiſtimat cauſam eſſe quia ירח נראה בזמנו Luna videndam ſe præbuit ſuo tempore, hoc eſt, triceſima nocte.

Mea *ἐπίκρισις* hæc eſt: Quia ipſo Scaligero interprete auctor ille in recenſio-

ne Feſtorum poſt mentionem Sabbati primi & Neomeniæ, initio facto à Paſchate ſeu Azymis, *ἑορτὴν* intelligit *κατ' ἐξοχὴν τὴν πεντηκοςὴν*, quod ita Hebraicè vocetur, nempe עצרת: & deſinit in Scenopegiam, quam *μεγάλην ἡμέραν* vocat *κατ' ἐξοχὴν*, Hebraicè חג. Non videtur fore abſque præpoſteritate ſi dicatur præmittere in iſto cenſu Sabbatū quod inter duo poſteriora Feſta intercurrit ac poſtremo vicinum eſt. Rite autem ordinata erit recenſio, ſi auctor intellexerit Sabbatum primum, non illud quod ab Autumno primum eſt, ſed iſtud iterum primum, quod nobis eſt שבת החדש. Certe non potuit auctor oportunius inchoare ſermonem ſuum quam Neomenia illa, quæ divina indictione erat Neomeniarum prima, & ante quam fiebat intercalatio, ſi intercalandum eſſet: & in cujus Lunæ *φάσει* figebatur computus ſequentium trium Feſtorum, quæ recenſet. Quam autem cum Neomenia iſta vicinitatem & cognationem habeat Sabbatum ab illa denominatum החדש & primum, ſat dictum. Quanquam non invitus largiar, majori religione Iudæos Sabbatum iſtud ſanctificaſſe, quando in ipſam Neomeniam incideret, quam quando Sabbatum ultimum anni ſacri anticipatione Paraſchæ החדש una opera fiebat primi vicarium, quod auctor potuit intendiſſe.

De

De Horatio ut obiter dicam quod poſſum; Non videtur diem lætum aut boni ominis deſignare, qui melius tempus exſpectare jubet, inquiens,

ſed meliori
Tempore dicam, hodie triceſima Sabbatorum.

Et videtur exclamatio ſequens,

Hunccine Solem
Tam nigrum ſurrexe mihi,

Intelligenda de Sabbato triceſimo, non abſque nominis *Fuſci* ſugillatione. Non quadrant autem hæc ad Neomenias quæ habebant læta ſolemnia benedictionis Lunæ ברכת הלבנה. Indagandus potius infauſtus & niger ac ominoſus dies, qui triceſimum Sabbatum putetur. Invenio autem in Iudæorum Rituali Hebræo-Germanico mentionem Sabbati, quod vocant שוורץ שבת Schwartz Sabbath: *Sabbatum nigrum.* Id vero collocant ſub finem menſis *Ijar*: circa Iejunium, quod conſecrant memoriæ mortis Prophetæ Samuelis, juxta vulgata Calendaria 28 *Ijar*; praxi autem Iudæorum Wormacienſium 23 *Ijar.* Iam ſi ab iſthac ſeptimana, quæ poſtrema eſt menſis *Ijar*, retro ſupputes ad ſeptimanam poſtremam menſis *Tiſri*, in qua eſt שבת בראשית Sabbatum ἁπλῶς primum, habebis in anno communi Iudaico Sabbata ſeu ſeptimanas triginta. Sunt enim retro numerando dies 210.

Ab *Ijar* die ad Diem *Tiſri* incluſive.

28 }	{ 26
23 }	{ 21

Quando ergo Sabbatum בראשית incidit 24 Tiſri, init Septimana triceſima Sabbato, 20 Ijar finit 26. Si ſecus, juxta ſequens ſchema.

Tiſri	*Ijar.*
26	22--28
27	23--29
29	25--2 *Sivan.*

Do conjecturam tantum, quam non recuſo ut in Lectoris ſpongiam incumbat; ſi diſplicet, lubens diſcam certiora.

Quicquid ſit de Horatio: majoris conſiderationis eſt locus Petito laudatus ex Maimonide, his verbis: אין ראית הירח מסורה לכל אדם כמו שבת בראשית שכל אחד מונה ששה ושובת בשביעי אלא לבית דין הדבר מסור עד שיקדשוהו בית דין ויקבעו אותו היום ראש חדש הוא שיהיה ראש חדש. שנאמר החדש הזה לכם עדות זו תהיה מסרה לכם:

Vult Petitus Maimonidem docere his verbis Lunam Sabbato illo quo ceſsavit Deus ab omni opere creationis, ſe videndam præbuiſse ea viſione ſecũdum quam ſolebant Iudæi ſtante Templo Neomenias olim indicere. Fateor me in illis verbis iſtud videre non poſse.

Vehementer autem fallor, ni in verbis Maimonidis שבת בראשית ſignificet id quod à Paraſcha illa, ut jam ſæpius dictum, denominationem habet, à quo inchoatur

choatur curriculum lectionum Sabbatinarum. Ac porro formula illa שנאמר quæ plerumque abbreviatè ſcribitur (de qua vide Merceri abbreviaturas) manifeſte oſtendit laudari Paraſcham Exod. 12, 1, verbis iſtis החדש הזה לכם quæ habent indictionem divinam Neomeniæ Niſan, à qua denominatur jam ſæpius dictum δευτερόπρωτον Sabbatum החדש. Quare omnino exiſtimo mētionem Sabbati בראשית fieri, non quod inde derivata olim fuerit Indictio Neomeniarum: Quid enim hoc ad Neomeniarum computum שכל אחד מונה ששה ושובת בשביעי. quod quivis facile numerat ſex, & quieſcit ſeptimo: Sed comparatione facta inter illum Sabbatorum computum, initio facto à Sabbato בראשית, & inter Neomeniarum obſervationem ut minus obviam omnibus; docere voluit Indictionum neceſſitatem, ac ſimul originem & principium in Indictione divina à menſe Niſan: cujus divinæ indictionis loco jam ſint attendenda plebi Senatuſconſulta. Atque hoc pacto Aſſertionem meam muniet hic locus Maimonidis à Petito ſuppeditatus, ac ſecus intellectus.

FINIS.

Digitized by Google

Doctiſſimo viro & amiciſſimo D. IOHANNI CLOPPENBVRGIO, Verbi Dei Miniſtro, & in Eccleſia, quæ Brielæ eſt reformata, Paſtori fideliſſimo

LVD. CAPPELLVS S. P. D.

ACCEPI, vir doctiſſime, utramque illam, quam ad me cum literis miſiſti, doctiſſimam diatribam de Chriſti Paſchate & Sabbato *δευτεροπρώτῳ*, argumento ſane & nobili & difficili. Fuit hoc munus duplici nomine longe mihi gratiſſimum & acceptiſſimũ, tum nimirum ob proprium & inſitum precium: tum etiam quia illud eſſe voluiſti veteris noſtræ conſuetudinis & tuæ erga me amicitiæ (quam quidem ob conditionem tuam ſemper magni feci & porro facio) tanto temporis & locorum intervallo minime extinctæ aut intermortuæ *μνημόσυνον* & *ἀναζωπύρημα*. Itaque non poſſum ſatis magnas ea propter tibi reddere gratias, multo minus referre, aut quidquam quod ſit *ἀντάξιον* tibi jam reponere. Quod unum tamen poſſum, quando id à me exigis, fa-

ciam

ciam id, ad quod invitas Horatiano illo, quo primam diatribam claudis, carmine. Mitto ad te utriuſque illius doctæ ſimul & ingenioſæ exercitationis examen, quod ego velim eo animi candore à te accipi, quo ego illud tibi candide impertior. Si tibi id probabitur, mihi gratulabor: ſi minus, meliora monenti atque docenti facile cedam.

Nititur tua de Chriſti Paſchate ſententia duabus hypotheſibus: altera de agno Paſchali in ſolo templo mactando: altera de Paſchatis 2 die azymorum inſtauratione, quas ſi ego ſatis certas eſſe viderem, lubens in tuam concederem ſententiam, & ingenioſæ locorum Scripturæ illi adverſantium quam adfers interpretationi facile accederem. Verum (niſi ego vehementer fallor) parum certæ & ſolidæ ſunt illæ quas ex Brouchtoni (ut ais) Anglicis, quæ ego non vidi, ſcriptis adducis ad ſententiæ tuæ confirmationem hypotheſes. Nam ad priorem quod attinet, *Agnum Paſchalem non niſi in Templo Hieroſolymitano mactari debuiſſe*, illa videtur mihi vehemẽter ſuſpecta, vel eo nomine, quod ſic Paſcha comedi & celebrari non potuiſſet niſi Hieroſolymis, & quidem ab adultis & grandioribus, qui per validam ac vegetam ætatem aſcendere eò potuiſſent: fœminæ, ſenes invalidi, pueri, quibus ea non erat corporis firmitas, Paſcha non comediſſent.

Attamen inſtitutum fuit Paſcha in uſum integrarum familiarum, uti liquet ex Exodi XII, 26. Si enim pueruli patres interrogent, quid ſibi vult cultus iſte, intereſſe debuerunt iſti cultui; quin & ipſi ſervi precio empti & circumciſi ad eſum Paſchatis admittebantur. Putaſne autem integras omnium Iſraelitarum familias potuiſſe quotannis Hieroſolymam aſcendere & Paſcha iſtic celebrare? præſertim Chriſti tempore, cum Iudæi per univerſum terrarum orbem erant diſperſi? illiſne qui in Ægypto, Babylonia, Aſia, Græcia, Italia erant, non licuit domi immolare Paſcha? Non facile ego crediderim, cum omnes tam diſerte jubeantur celebrare illud Feſtum. Quin & in eorum gratiam qui Hieroſolymam aſcendebant, non exiſtimarim à ſolis Sacerdotibus in Templo agnum fuiſſe immolatum: cum Philo (referente Caſaubono Exerc. p. 470.) dicat exerte *ἐν ἑορτῇ θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου παντὶ τῷ ἔθνει ἡμέραν μίαν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος*. En habes hic omnes in univerſum Iudæos factos eo die Sacerdotes, quatenus ſingulis licuit mactare Agnum Paſchalem ſine ſacerdotum opera & miniſterio *ἱερεῖς οὐκ ἀναμένοντες non exſpectatis Sacerdotibus*. Vnde fit manifeſtum, extra Hieroſolymam & Iudæam per univerſum terrarum

rum orbem diſperſis Iudæis licuiſſe Agnum illum mactare.

Et ſane ratio, tum loci in Templo, in quo victimæ mactabantur, tum temporis, quo immolandus erat agnus, non patiebatur, ut in ſolo templo immolaretur. Nam locus anguſtus erat, latus tantùm cubitis 56, longus 76, (uti ex ipſis Iudæis liquet in Maſſechet מדות & nos demonſtravimus in hiſtoria noſtra Apoſtolica.) Immolari autem non potuit Agnus niſi ab hora 3 ad 5 veſpertinā בין הערבים ſpatio horarum duarum: nam poſtmodum ad Solis uſque occaſum parari & aſſari debuit. Qui potuiſſet autem à ſolis ſacerdotibus in tam anguſto loco, tam brevi temporis ſpatio, mactari tantus Agnorum Paſchalium numerus qui toti populo ſufficeret? ſiquidem Ioſephus teſtatur, præſide Ceſtio Floro numerata fuiſſe Hieroſolymis agnorum Paſchalium CCLVI M, in uno Paſchatis feſto. Omnino ergo privatis quibuſque patribus familias licuit immolare domi agnum. Potuit itaque Chriſtus agnum in Templo non mactatum, & alio quam reliqui Iudæi die, privatim immolatum edere ſine Legis violatione, quæ de Agno in Templo immolando tacet.

Nam quod Deut. XVI, 5, 6, vetat Deus ne Feſtum illud alibi celebretur, quam *in eo loco ubi Deus poſuerit nomen ſuum*, ita accipiendum eſt, ut ne populus ad Feſti

hujus (ut & reliquorum) celebrationem publice conveniret alibi, quam in eo loco quem Deus elegiſſet, non vero ut ne agnus Paſchalis alibi, quam in Templo vel Tabernaculo mactaretur; quaſi non potuerit per ſingulas familias domi privatim, omni in loco edi. Quod autem Iudæi ab everſo Templo Feſtum quidem obſervant, agnum tamen Paſchalem non immolant, argumentum non eſt, ſtante Templo non licuiſſe extra Templum agnum immolare: ſed tantum privatam, quæ per familias ubique fiebat, immolationem ſanctificatam fuiſſe per publicam illam quæ in Templo peragebatur. Ita ut quamdiu Leviticum una cum Templo duravit ſacerdotium, illius vi facti fuerint (uti ex Philone vidimus) omnes Iudæi ſacerdotes quotannis ſemel ſinguli illa die: ubi jam cum Templo deſiit Sacerdotium, deſiit ex eo influere in privatos atque illis communicare die illa ἱξαιρετῇ ἀνὰ πᾶν ἔτος τὴν ἱερωσύνην.

Atque hæc de 1 ſententiæ tuæ hypotheſi. Ad alteram quod attinet, de Paſchate per biduum continuato, ſive 2 azymorum die inſtaurato: Forte non invitus id conceſſerim de recentioribus in hoc ſuo exilio Iudæis; at non pariter dederim id in Iudæa Chriſti tempore factum fuiſſe. Apertus hic eſt Maimonides Tract. יום טוב cap. 1, §. 21. *Illud* (inquit) *quod nos facimus extra terram* (Iudæã ſc.)

ut

ut nempe in unoquoque Feſtorum commemoratorum (Paſchatis, Pentec. & Tabernaculorum) *duos dies obſervemus* מנהג הוא *Conſuetudo eſt tantum* י"ט שני מדברי סופרים הוא *dieſque Feſtus* 2 *obſervatur tantum ex conſtitutione Scribarum* מדברים שנתחדשו בגלות *eſtque ex earum rerum numero quæ innovatæ ſunt in captivitate iſta* ואין עושין בני ארץ ישר שני ימים *neque obſervant incolæ terræ Iſrael duos illos dies* אלא בראש השנה בלבד *niſi duntaxat* N. B. *initio anni* (civilis nempe, menſe Tiſri) *atque in Tractatu hujus libri* קידוש החדש *nos* (inquit Maim.) *explicamus rationem & fundamentum hujus conſuetudinis, & quæ cauſa eſt cur ubiq; initio anni obſervent* 2 *dies.*

Rationem hujus variæ conſuetudinis ſic explicat tractatu illo Maimonides. Ait cap. 1, Sapientes Synedrii Hieroſol. (ad quos pertinebat indicere Neomenias & dies Feſtos) tenuiſſe quidem accurate (ſecundum Aſtrologorum computum & accuratam calculandi Lunæ motum rationem) quo die & momento Luna Soli conjungeretur ſingulis menſibus, non tamen indixiſſe Neomeniā die ipſa τῆς συνόδου, ſed die τῆς φάσεως. Vt autem conſtaret de φάσει quando primum apparuiſſet Luna corniculata, quia non omni loco videri poteſt, quum primum incipit emergere è radiis Solaribus, obſtante non raro cœlo nubilo, opus fuit teſtibus fidelibus, qui renunciarent Synedrio quando

Luna à ſe fuiſſet viſa. Atque hic fuſe admodum λεπτολογεῖ & περιττολογεῖ Maimonides de teſtium & teſtimonii eorum qualitate, deque ratione explorandi teſtimonium, num verum an fictum falſumque eſſet, qua in re ait ſapientes adjutos fuiſſe ſcientiæ Aſtronomicæ peritia. Si enim teſtes renunciabant ſe Lunam vidiſſe alieno tempore, h. e. eo tempore quo ſecundum verum ipſius & ſolis motum nondum emergit è radiis ſolaribus, vel ſi renuntiabant ſerius à ſe eſſe viſam quam juxta verum motum ipſius videri & apparere poteſt, conjiciebant inde teſtimonium illud falſum atque confictum eſſe, propterea que repudiabant. Si vero renuntiabant Lunam à ſe viſam eſſe ſuo tempore, h. e. eo momento quo revera juxta motum ſuum videri & apparere poteſt, recipiebant illud teſtimonium tanquam verum, & juxta illud Neomeniam indicebant κατὰ τὴν φάσιν τῆς σελήνης. Si ergo teſtes adveniebant die 30 menſis & viſam à ſe fuiſſe ea die Lunam teſtarentur, indicebatur ea die Neomenia, atque ita præcedens menſis erat tantum dierum 29. Si die 31 adveniſſent, & Lunam à ſe viſam eſſe ea die renunciarent, indicebatur ea die Neomenia: atque tum præcedens menſis erat dierum 30. Si elapſus eſſet dies 31, nec dum tamen adveniſſent teſtes, indicebatur nihilominus à Synedrio ea die Neomenia, quia dubium eſſe

eſſe non poteſt, quin Luna emergere incipiat è radiis ſolaribus die 31 poſt præcedentem ipſius *φάσιν*.

Vbi indicta erat Hieroſolymis à Synedrio Neomenia, ſtatim quaquaverſum mittebantur שלוחין *nuntii* ſeu *legati* qui per univerſam Iſraelis terram renunciabant qua die indicta eſſet Hieroſolymis Neomenia, & quocunque nuncii illi pervenire poterant ſpatio dierum x, iis omnibus in locis unus duntaxat dies Feſtus in ſingulis feſtivitatibus annuis celebrabatur, quia iis in locis certum eſſe poterat per nuncios illos qua die indicta fuiſſet Hieroſolymis Neomenia. Verum in locis longius remotis duo dies Feſti obſervabantur על ספק *propter incertitudinem* indictionis Neomeniæ: non poterant nempe per nuncios reſciſcere qua die indicta fuiſſet Hieroſolymis Neomenia, utrum die 30, an 31, poſt antecedentem *φάσιν*. Cur autem nuncii non ultra decimum diem progrederentur, non aperit eo quidem in loco Maim. an alibi faciat neſcio. Sed ego non unam fuiſſe cauſam ſuſpicor. Ac 1 quidem, quia nulla pars terræ Iſrael longius diſtabat Hieroſolymis quam ſpacio dierum x. Deinde quia x die Niſan ſeparandus erat ex mandato divino agnus Paſchalis, ſi ergo ultra x diem progreſſi fuiſſent nuntii, ſerius adveniſſent: agnus enim jam ante eorum adventū ſeparandus erat. Denique x die menſis ſeptimi (h.e.

Tiſri)

Tiſri) Feſtum propitiationum erat celebrandum, cui indicendo ſerius etiam advenissent.

His ita à Maimonide conſtitutis, ait cap. v ejuſdem Tractatus, §. 1, *Rationem illam indicendi Neomenias κτ̀ τὴν φάσιν (ut & intercalādi menſem ואדר) obtinuiſſe tamdiu, quamdiu fuit in terra Iſrael Synedrium vel ב"ד domus judicii prope eam cui Synedrium poteſtatem illam conceſſiſſet: verum ex quo deſiit eſſe in terra Iſrael Synedrium, ratio intercalandi & indicendi Neomenias fit non amplius κτ̀ τὴν φάσιν ſed juxta* חשבון שאנו מחשבים בו היום *computum quo nos hodie utimur*. §. 3 quærit Maim. *Quando autem cœperunt omnes Iſraelitæ uti hodierno iſto computo? nempe poſtquam deſierunt ſapientes Talmud, quo tempore devaſtata eſt terra Iſrael, nec in ea relicta eſt* בית דין קבוע *domus Iudicii fixa & certa: verum tempore ſapientum Miſnæ & ſapientum Talmudis, uſque ad tempus Rab.* אביי *&* רבא *ſequebantur rationem indicendi & intercalandi in terra Iſraelis uſitatam*. §. 4, *Cum ſtabat Hieroſolymis Synedrium, & indicebant Neomenias κτ̀ φάσιν, tum incolæ terræ Iſrael, iique omnes ad quos pervenire poterant* שלוחי תשרי *nuncii menſis Tiſri* היו עושים ימים טובים יום אחד בלבד *in ſolennitatibus feſtivis annuis unum duntaxat diem feſtum agebant, at in reliquis locis longius remotis, quo pervenire non poterant nuncii menſis Tiſri* היו עושים שני ימים *obſervabant*

vabant 2 dies מספק *propter incertitudinem, quia neſciebant qua die Hieroſolymitani indixiſſent Neomeniam.* Vbi obiter obſerva Scaligerum loco à te pag. 5 adducto falli, cum ait id fieri מספק תחבורת המאורים *propter incertitudinem conjunctionis luminarium*; cum Maimon. dicat id factum eſſe, quia neſciebant qua die Hieroſolymitani indixiſſent Neomeniam. §. 5 pergit ſic Maimon. *Hoc tempore, cum nullum amplius eſt in terra Iſrael Synedrium aut* ב"ד *domus judicii, proptereaque indicimus Neomenias & intercalamus ſecũdum computum Aſtronomicum hodiernum (h.e. Neomenias* ἀπὸ τῆς συνόδου *inchoamus)* היה מדין *æquum erat ut in omnibus locis celebraretur unus tantum dies feſtus, etiam in locis à terra Iſrael longe poſitis, quomodo illud obſervabant olim incolæ terræ Iſrael: ſiquidem omnes jam uno duntaxat utimur computo, & juxta illud intercalamus atque indicimus Neomenias* אבל תקנת חכמים היא שיזהרו במנהג אבותיהם שבידיהם *verum ſapientes conſtituerunt ut obſervaretur conſuetudo* πατροπαράδοτος. §. 6, *Quin & incolæ terræ Iſrael* בזמן הזה *hodie* עושים יום אחד *celebrant unum tantum diem pro antiquo ſuo more* שמעולם לא עושים שני ימים *quia nunquam obſervarunt 2 dies, liquet diem 2, quem nos in exilio iſto obſervamus, eſſe* מדברי שתקני סיפרים דבר זה *ex conſtitutione ſcribarum qui illud ordinarunt.* Cur autẽ initio anni, h.e. menſe Tiſri, 2 dies feſti obſervati

ſint

ſint etiam in terra Iſraelis, & vero quandoque in ipſis Hieroſolymis; rationem poſtea reddit Maimonides, ſed nihil id facit ad noſtram de Chriſti Paſchate quęſtionem.

Ex his, opinor, vides mi, Cloppenburgi, ruere penitus fundamentum & hypotheſin illam tuam de iterato Hieroſolymis Paſchate ſecundo Azymorum die, unde reſponſiones tuas ducis ad ea Scripturæ loca, quæ ſententiæ tuæ adverſantur. Maimonides quidem in Korban Peſach multa habet de פסח שני *Paſchate ſecundo*, ſed *Paſcha* illud *ſecundum* non eſt δευτέρα τῶν ἀζύμων, in qua inſtauratum fuerit Paſcha: ſed eſt Paſcha illud, quod die xv ſecundi menſis celebrabatur ab illis qui tempore primi Paſchatis peregre domo aberant, vel qui aliqua legali immunditie erant coinquinati.

Neque vero inſtauratio Paſchatis ſecunda die Azymorum nititur loco Deut. xvi, 2, qui accipiendus eſt de ſacrificio quod præſcribitur Num. xxiix, 29, & offerendum erat prima die azymorum. Et fruſtra ſunt Iudæorum commentatores, quum inde hodiernam ſuam de inſtauratione Paſchatis conſuetudinem cõfirmare ſatagunt. Neque huc facit locus 2 Chron. 35, de Ioſiæ Paſchate, nam boves qui iſtic immolati dicuntur, in eorum gratiam immolabantur, qui per plures Azymorum dies Hieroſolymis ſubſiſte-

bant,

Digitized by Google

bant, atque iſtic inter familiares conviva-
bantur; hilareſque dies agebant. Alioqui ex lege poſt eſum agni Paſchalis mane diei primæ azymorum licebat unicuique domum repetere, Deut. xvi, 7. Id quod repugnat inſtaurationi Paſchatis, quam tu vis ſecunda die azymorum factam. Nam ſi inſtaurandum fuit Paſcha, non licuit populo poſt eſum agni mane domum redire: ſubſiſtendum illic fuiſſet uſque ad matutinum tempus ſecundæ diei azymorum.

Locus quem ex Miſna citas in Maſſech Peſachim cap. vi, §. 4, nihil habet de Paſchatis inſtauratione: tantum dicit boves & reliqua animalia, quæ cum agno mactabantur, (quæque iſtic vocantur חגיגה ad differentiam agni qui dicitur פסח) abſumi debuiſſe prima & ſecunda die azymorum, neque fuiſſe ulterius aſſervanda. Eſus illius חגיגה ſecundo die azymorum non arguit illa die inſtauratum fuiſſe Paſcha, diemque illam dictam etiam fuiſſe Paſcha, quando jam ex Maimonide oſtendi Hieroſolym. non fuiſſe obſervatos duos feſtos dies: ſed notat tantum convivium ſacrum ex victimis pacificis exſtructum.

Itaque locus Ioh. xviii, 28, *ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ᾽ ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα* non poteſt accipi de eſu illius חגיגה ſed de eſu agni Paſchalis, ſiquidem agnus ſolus dicitur פסח, reliqua verò quæ cum illo macta-

mactabantur animalia, vocantur חגיגה, non verò פסח. Everſa autem ex Maimonide obſervatione duorum dierum in feſto, cadit ſimul cautio à pollutione, ſecunda die azymorum, non enim tam ſollicite cavebant à pollutione, niſi ut edere poſſent Paſcha. Itaque locus Iohannis reſtringendus ad primam, non verò extendendus ad ſecundam diem azymorum.

De feriarum, ob ſequens aut antecedens Sabbatum, tranſlatione, an Chriſti tempore fuerit uſitata, nolo tecum diſputare. Nego tantum neceſſe mihi eſſe eò recurrere: poteſt enim alia reddi ratio cur Chriſtus alio quam Iudæi die ἐννόμως Paſcha celebrarit: nēpe celebrabant cum temporis Iudæi Paſcha XV die ἀπὸ τῆς φάσεως, nam, uti jam ex Maimonide obſervavi, indicebant Neomenias על הראיה κατὰ τὴν φάσιν, Chriſtus autem illud celebravit die etiam XV, ἀπὸ τῆς συνόδου, quæ τὴν φάσιν præcedit, integro ut minimum die. Vtrique ἐννόμως celebrarunt, quia XV Luna: cum enim Lex non definiat quando inchoanda ſit Neomenia, an à συνόδῳ, an verò à φάσει: habuit illa hic ſuam latitudinem, & potuit eſſe diverſus inchoandi Neomenias uſus, ut alii ἀπὸ τῆς συζυγίας, alii ἀπὸ τῆς φάσεως Neomenias inchoarint: atque inde forte fuit antiquus ille mos in Iſraele convivandi per biduum in Neomeniis: qui mos notus eſt

ex

Digitized by Google

ex Saulis hiſtoria 1 Sam. xx, 24, 25, 26, 27. Atque huc ego refero quod Maimonides narrat de duobus diebus feſtis continuis. Nam ut id quod ego ſentio libere dicam, quæ ille narrat de nunciis qui quaquaverſum ad dies decem mittebantur, ut indicarent qua die Hieroſolymis indicta eſſet Neomenia, omnino ſapere mihi videntur fabulam, & redolere nænias & nugas Iudaicas, quibus (uti conjicio) diſſimulare voluerint doctores illi Talmudici diverſam quæ olim obtinuerat inter Iudæos (uti poſtmodum factum eſt inter Chriſtianos licet paulo diverſa ratione) celebrandi Paſcha rationem, ex varia Neomenias inchoandi ratione. Alii nempe, ἀπὸ φάσεως, ut dixi, alii vero ἀπὸ συνόδου eas inchoabant. Et Babylonii quidem, & qui in Ægypto erant, quique inde quaquaverſum per univerſum terrarum orbem diſperſi fuerunt Iudæi, ex Aſtronomiæ peritia, cui plurimum ſtudebant 2 illæ gẽtes, videntur Neomenias ſuas inchoaſſe ἀπὸ συνόδου, quæ abſtruſior eſt paulo ratio, & maxime genuinum ac naturale menſis lunaris initium: Iudæi vero Hieroſolymitani (quia forte minus ſcientiæ hujus periti) ἀπὸ τῆς φάσεως, quæ eſt magis popularis & aperta menſes Lunares inchoandi ratio. Hinc geminatum & obſervatum 2 continuis diebus Paſcha, alterum XIV, alterum XV ἀπὸ τῆς συν-

συνόδου die: at non tamen eo modo geminum quo cenſet, & poſt Talmudicos fabulatores explicat Maimonides, ut remotiores Iudæi continuarint duobus continuis diebus Paſcha, Hieroſolymitani vero uno tantum die illud obſervarint, ſed eo quo jam explicui modo, ut Babylonii & Ægyptii XIV, Hieroſolymitani XV die *ἀπὸ τῆς συνόδου*, celebrarint Paſcha omnes tamen die XV à ſua Neomenia, ac proinde *κατὰ τὸν νόμον*. Cum itaque utraque illa ratio ſit *ἔννομος*, Chriſtus reliquis quidem annis mortem ſuam antecedentibus Paſcha unâ cum Hieroſolymitanis Iudæis, eodemque cum illis die celebravit: ultimo autem mortis ſuæ anno diverſam rationem ſequutus eſt, eorumque Paſcha uno anticipavit die, cujus facti manifeſta fuit cauſa: nempe ut *τὸ τυπωθὲν* typo ſuo accurate reſponderet, oportuit Chriſtum verum noſtrum Paſcha immolari pro nobis eo ipſo tempore, quo Legalis agnus mactandus erat: quod & factum fuit, nam Chriſtus hora ſexta, hoc eſt, meridie cruci affixus fuit, de cruce autem depoſitus hora tertia pomeridiana, quo tempore mactari incipiebat Agnus Paſchalis בין הערבים. Id autem fieri non potuit, niſi Chriſtus Paſcha ſuum pridie celebraſſet cum diſcipulis: quod & fieri oportuit, ut Sacramento illi legali ſufficeret aliud novi Teſtamenti

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum ſacrum, nempe Cœnam.

Neque cum ſic Chriſtus anticipavit Iudæorum Hieroſolymitanorum Paſcha, quidquam propterea fecit adverſus legem: edit enim Paſcha XV Luna, nempe ἀπὸ τῆς συνόδȣ: neque neceſſe eſt dicere, Iudæos eo anno propter ſequens Sabbatum trāſtuliſſe atque procraſtinaſſe ſuum Paſcha, aut alieno tempore celebraſſe, neque (ut tu vis) Paſcha iteraſſe: nam utrique Paſcha ſuum celebrarunt XV Luna, ſed illi ἀπὸ τῆς φάσεως, Chriſtus vero ἀπὸ τῆς συνόδȣ.

Hinc diluitur omnis illa difficultas, qua tu Caſauboni urges ſententiam; Qui factum ſit, ut diſcipuli & paterfamilias non mirati ſint quod Chriſtus illa die Paſcha celebraret, & ſuper ea re Chriſtum non interrogarint: non eſſe veriſimile, Iudam proditorem id Chriſti factum tacuiſſe ſacerdotibus: Si illis renunciavit, qui factum, ut id Chriſto non objecerint tanquam παρανόμημα? Chriſtum fuiſſe vel νόμȣ παραβάτην, ſi alieno tempore Paſcha comedit, vel diſſimulatorē, ſi ſuo tempore celebravit, quod Iudæos alieno tempore celebrantes non reprehendit: atque ita mutuum fuiſſe inter ipſum & Sacerdotes ſyncretiſmum, in eo quod alii alios non reprehenderint, ſed ſe mutuo in re mala tolerarint: omnia inquam iſta ex hac noſtra explicatione evaneſcunt. Nam neque Chriſtus, neque Iudæi

dæi (uti vidimus) alieno ſed ſuo tempore Paſcha celebrarunt. Itaque non opus fuit ut Chriſtus Iudæos reprehenderet, neque cauſa fuit ulla cur Sacerdotes Chriſtum accuſarent: aut cur diſcipuli & Paterfamilias Chriſti factum mirarentur; cum ſatis ſcirent eum non facere quidquam in ea re contra legem, & noverant ſic à pleriſque gentis ſuæ hominibus ſolere fieri. Forte & in ipſa etiam Iudæa, adeoque & in ipſis Hieroſolymis libertas quædam fuit, & diverſa in celebrãdo Paſchate ratio. Cur enim qui ex Ægypto, Babylonia, Syria & Græcia eò aſcendebant, coacti fuiſſent alio quam quo in patria ſoliti erant, h. e. alio quã xv à ſua Neomenia die Paſcha celebrare? Hieroſolymitanis ſane, & illis qui eò ex Iudæa quotannis aſcendebant, cõſtituta erat certa dies (nempe xv à ſua Neomenia, quæ à *φάσει* incipiebat) qua publice Paſcha celebraretur. At id non vetat quominus qui aliunde ex Ægypto, Babylonia, &c. veniebant, quique alio quam Iudæi Hieroſolymitani Neomeniæ initio utebantur, Paſcha ſuum privatim celebrarent xv à ſua Neomenia die, licet dies illa diverſa eſſet ab ea qua Hieroſolymitani Paſcha ſuum celebrabant. Atque ſic etiam verum invenietur in ipſis adeo Hieroſolymis, duobus continuis diebus Paſcha fuiſſe celebratum, at non tamen eo quo tu, cum recen-

recentioribus Iudæis exiſtimas ſenſu.

Euangeliſtæ ergo Matt. xxvi, 17. Marc. xiv, 12. Luc. xxii, 7. qui videntur innuere Chriſtum eodem cum Iudæis die Paſcha celebraſſe, ſic ſunt accipiendi, ut prima dies azymorum illis dicatur cum quadam latitudine pro biduo illo quo incipiebant τὰ ἄζυμα, his quidem uno, aliis vero alio die τὰ ἄζυμα inchoantibus: Ioāni verò τὸ πάσχα ſingulariter & ſtricte dicatur de Hieroſolymitanorum publico Paſchate: atque ita Marci τὸ ὅτε ἔθυον recte (ut vult Scaliger) explicatur per Lucæ ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι, habita nempe inchoādi Neomeniā ἀπὸ τῆς συνόδου ratione. Quanquam & alia eſt iſta loca conciliandi ratio, ut nempe cum Luc. xxii, 7, dicitur ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, illud ἦλθε non ſignificet, jam tum adveniſſe diem azymorum, ſed inſtaſſe ſeu prope fuiſſe, ut ſic reddatur: *inſtabat* autem ſeu *prope erat dies azymorum.* Deinde obſervandum, diſcipulos non occupaſſe Chriſtum rogando eum ubinam vellet parari ſibi Paſcha, uti prima fronte videri poſſet ex Matthæo & Marco: ſed Chriſtum contra occupaſſe eos jubendo illis ut ſibi pararent Paſcha, uti planum eſt ex Luca: atque ita & hic etiam Matthæus & Marcus ex Luca ſunt explicandi. Et ſane, velis nolis, neceſſe eſt ut prima dies azymorum apud Matthæum & Marcum accipiatur cum quadam latitudine pro pridie azymo-

rum ; nam agnus edebatur initio diei primæ azymorum occidente ſole, aut mox poſt ejus occaſum: parari ergo debuit pridie, ac proinde diſcipuli mitti ante debuerunt ut pararent : non ergo ipſa die azymorum miſſi ſunt. Chriſtus ergo, cum inſtaret tempus azymorum, hoc eſt propridie illius diei , miſit diſcipulos, qui pararent ſibi Paſcha ; pridie autem ipſe cum diſcipulis edit Paſcha.

His ita conſtitutis atque explicatis, venio ad reſponſiones quas adhibes illis Scripturæ locis , quæ Caſaubonus adverſus Baronium attulit. Ac primo quidem ad locum qui eſt Ioh. xix, 14. Sane dies, quo Chriſtus agnum edit, fuit παρασκευὴ τοῦ σαββάτου. At eum à Ioanne παρασκευὴν τοῦ πάσχα ideo dictũ fuiſſe (ut tu vis) quia eo anno accidit, ut idem dies eſſet & Paſcha & paraſceue Sabbati ſimul, non tibi facile conceſſerim. Nam ut nihil dicam, falſum id eſſe; Paſcha enim eo anno incidit in ipſum Sabbatum. Dato non conceſſo eundem diem fuiſſe ſimul Paſcha & paraſceuen Sabbati , nego ſic loquendum fuiſſe Iohanni, ut id quod urges ſignificaret : dicendũ potius fuerat, ἦν δὲ τὸ πάσχα παρασκευὴ vel ἦν δὲ παρασκευὴ τὸ πάσχα, hoc eſt *Erat ille Paſchatis dies paraſceue*, ſupple *Sabbati*: non vero, ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα : poſteriori enim iſta phraſi non poteſt aliud ſignificari quam quod dies illa fuit paraſceue ipſius Paſchatis. Et

fru-

fruſtra eſt quod addis: *Quidni Sabbatum illud Paſcha dictum fuerit, in quo repetitum fuit Paſcha, & feſtivitas inſtaurata?* illa enim Paſchatis repetitio jam eſt ex Maimonide à me confutata.

Fateor locum Ioh. XIII, 29, Caſauboni ſententiam non multum juvare, aut tuæ obeſſe: poteſt enim eo loco Feſti vocabulum late accipi pro toto feſti azymorum tempore, ut hoc voluerint diſcipuli, Christum Iudæ præcepiſſe ut emeret ea quæ pro toto feſti tempore erant neceſſaria.

Ad locum Ioh. XIX, 31, quod attinet, Sabbato ex concurſu ſecundæ diei azymorum acceſſiſſe majorem aliquam ſanctificationem, cujus reſpectu dici poteſt μεγάλη ἡμέρα τȣ͂ σαββάτȣ, vix puto: mox enim planum fiet, non eſſe ſolidum quod ſupponis fundamentum, nempe majorem fuiſſe ſecundæ quam primæ diei azymorum ſanctitatem. Quare, cum in ſingulis 3 feſtis ſolennibus, Azymorum, Pentecoſtes, & Tabernaculorum primus & ultimus feſti dies habeantur præ reliquis μεγάλαι ἡμέραι, quia in iſtis habebatur מקרא הקדש convocatio ſancta, convenientius longe videtur, ut eo loco Iohanni μεγάλη ἡμέρα τȣ͂ σαββάτȣ ſit dies Sabbati, in quem eo anno incidit Iudaicum Paſcha, ſeu prima azymorum dies, quæ dici ſolet ex ſe μεγάλη ἡμέρα. Eſt itaque in verbis Euangeliſtæ hypallage, ut ἦν γὰρ

μεγάλη ἡμέρα τοῦ σαββάτου ἐκείνου ſit pro ἦν γὰρ τὸ σάββατον ἐκεῖνο μεγάλη ἡμέρα: erat nempe primus dies Azymorum.

De minore primæ quam ſecundæ diei azymorum ſanctitate nihil attinet tecum acrius contendere (ad controverſiam enim noſtram parum aut nihil id facit) videtur tamen hodiernorum Iudæorum praxis, quam ex ipſorum ritualibus deducis, in diverſum abire à veterum conſuetudine. Sic enim Maimonides in Tract. שביתת יום טוב cap. 1, §. 1, *Sex dierum Feſtorum ſolennium* שביתת כלם שוה *ceſſatio ab opere in illis par eſt omnino & æqualis: omne enim opus ſervile præter ciborum apparatum in illis eſt prohibitum.* §. 4, *Omne opus, cujus cauſa conſtituitur aliquis reus violati Sabbati, ſi illud fecerit die feſto, (modo non ſit ad parandum cibum opus illud neceſſarium) plectitur. Itaque die Feſto licet mactare, pinſere, coquere, atque farinam ſubigere, aliaque his ſimilia: at ea quæ non pertinent ad parandum cibum, ſunt prohibita, exempli gratia, ſcribere, texere, ædificare, & alia his ſimilia.* §. 5, *Non coquunt autem aut elixant die feſto ea quæ edēda ſunt* בחול *die prophano ſeu profeſto, ſed tantum cibum qui die ipſo feſto abſumitur, quod ſi illum paravit ad edendum die feſto, & reſiduum aliquod fecerit, licet id quod reſiduum eſt edere die profeſto.* Atque hic multa λεπτολογεῖ de illis quæ liceat vel non liceat die feſto. §. 22, י"ט שני *Dies feſtus ſecundus licet obſer-*

obſervetur tantum ex conſtitutione ſcribarum (uti ſupra explicatum eſt) *tamen quidquid prohibitum eſt die primo, illicitum eſt etiam die ſecundo, neque inter utrumque eſt diſcrimen* אלא בענין המת בלבד *niſi in funeratione hominis demortui.* §. 23, *Nam exempli gratia die feſto priore funus procurant* הגוים *gentiles* (h.e. gentilium opera & miniſterio procurare illud poſſunt Iudæi) *at die ſecundo* יתעסקו בו ישראל. *Iudæi ipſi illud procurant, eique vacant, faciuntque omnia ad id neceſſaria, ut eſt ſternere lectum, ſuere ſindones, &c. dies enim feſtus ſecundus* לגבי המת *reſpectu mortui, h.e. cum eſt curandum funus* כחול הוא חשוב *cenſetur quaſi prophanus aut profeſtus.* Hic minorem vides diei ſecundæ quam primæ ſanctitatem. Atque hinc vides, quod ſi Chriſtus (ut tu cum Baronio vis) cruci affixus eſt ipſo die Paſchatis, non licuiſſet Ioſepho Arimathæo, qui Iudæus fuit, ex iſta conſtitutione funeri illius vacare: at ſi fuit cruci affixus die paraſceues, licuit. Cap. denique 6, §. 1, ſic ait Maimon. *Dies Feſtus* שחל להיות ערב שבת *qui incidit in veſperam, hoc eſt pridie Sabbati, non licet coquere aut elixare eo die feſto quod edendum eſt* למחר בשבת *poſtridie ipſa Sabbati die: eſtque illa prohibitio conſtituta à Scribis.* Hæc videntur oppoſita ex adverſo conſuetudini hodiernorum Iudæorum, quam ex ipſorum ritualibus urges.

Venio ad locum Ioh. XVIII, 39. *Mos*

eſt ut unum dimittam vobis in Paſchate: ac dico, ſi die Feſto non licuit vacare judiciis capitalibus: neq; etiam videtur licuiſſe Feſto die poſtulare, ut vinctus ſolveretur: non enim id poteſt fieri legitime niſi cauſa cognita & facto rei ac criminis ipſius examine, cujuſmodi illud ſit, verum an falſum, cujuſque generis, an cædes, plagium, incendium, adulterium, &c. hoc enim eſt vacare judicio capitali: nam דין נפשות non eſt duntaxat cum reus condemnatur, ſed & cum abſolvitur cauſa cognitâ, uti liquet ex loco Maimonidis mox proferendo. Itaque illo Iohannis loco, *in Paſchate*, late ſumendum, ut & τὸ κατὰ ἑορτὴν Matthæi & Marci; non quidem tam late quam vult Beza, pro qualibet ſolenni Feſtivitate; neque tam ſtricte quam tu vis, pro prima die azymorum, ſeu ipſo Paſchatis die feſto; ſed pro toto Feſti Paſchatis tempore. Quin & pridie ſeu paraſceue Paſchatis poteſt in illo complexo comprehendi: pertinet enim paraſceue ad Paſcha. Poſtulatio itaque de vincto ſolvendo videtur omnino fieri ſolita vel pridie Paſchatis, vel בחול מועד hoc eſt, uno aliquo totius Feſtivitatis profeſto die, præter primum & ultimum, qui erant ſingulariter μεγάλαι ἡμέραι, & ſupra reliquos ſancti. Atq; ut tibi & Piſcatori aſſentiar de ratione & cauſa hujus conſuetudinis; non tamen ideo ſequitur fieri debuiſſe po-

poſtulationem illam die prima azymorum: obſtat enim decretum de non vacando judiciis capitalibus die feſto, cujus cauſa ſi non ſolebat pridie Paſchatis fieri illa poſtulatio; potuit tamen eo anno fieri præter morem occaſione condemnationis Chriſti, Pilato poſtulante, num vellent eum dimitti. Die Feſto non licuiſſe vacare judicio capitali, ne tu quidem negaveris, propter diei religionem; & hinc confirmatur, quia ne quidem id licuit in die paraſceues.

Non licuiſſe autem vacare judiciis capitalibus die paraſceves, liquet ex loco Maimonidis, à te ex Caſaubono adducto, qui mihi venit illuſtrandus: atque ut obiter hoc dicam, non eſt à Caſaubono recte verſus: nam שמא יתחייב non ſignificat (uti ille reddit) *quia non debet id fieri,* ſed, *ne forte condemnetur,* reus ſcilicet. Ratio nẽpe decreti hæc eſt: Non licebat Sabbato, neq; die feſto, propter diei religionem, mortis ſupplicio quenquam afficere: tum etiam, quia dies lætitiæ non eſt convertendus in diem luctus & mœſtitiæ: ſed neque etiam poſt damnatum reum decuit ſupplicium ejus diutius differri, ne mortis cogitatione diutina animus rei nimis angeretur, & ad deſperationem adigeretur, ſicque tentaret audax aliquod & deſperatum facinus. Itaque neque die paraſceues oportuit vacare judicio capitali, ne ſi forte condemnaretur

reus, ſupplicium ejus prorogandum eſſet ultra ſequentis Sabbati aut Feſti diem: nam ipſo Sabbato & Feſto die אין אפשר להרגו *impoſſibile eſt* (hoc eſt, illicitum eſt prorſus) *eum capitali ſupplicio afficere* : obſtat nempe diei religio, quæ non eſt violanda. Porro in hoc Maimonidis loco paraſceuen ſeu *veſperam Sabbati* accipio proprie & ſtricte pro tempore quod eſt à tertia hora pomeridiana ad Solis occaſum (ea enim vera erat paraſceue, quia tum præparari incipiebant ea quæ ad Sabbatum aut Feſtum ſequens erant neceſſaria.) Vera erat ערב veſpera : vide Scalig. de emend. temp. pag. 532, & 533,) non etiam pro antemeridiano diei illius tempore. Ita ut licuerit Iudicibus antemeridiano tempore vacare judiciis capitalibus , quia judicium abſolvi & reus condemnari potuit , ita ut eadem die pomeridiano tempore ſupplicium de eo ſumi potuerit ante Veſperam. Quod ergo vetabant vacare judiciis capitalibus in veſpera Sabbati & diei Feſti; non fuit ob diei religionem, ſed ne non ſupereſſet ſatis temporis poſt rei condemnationem, ad ſumendum de eo juſtum eadem die ſupplicium , cogerenturque propter ſequentis Sabbati vel feſti religionem ſupplicium diutius in tertium uſq; diem differre , quod non conveniebat. Ex eorum ergo ſententia, qui ſtatuunt , Chriſtum, alio quam Iudæi die Paſcha celebraſſe

potue-

Digitized by Google

potuerunt ſacerdotes legitime (hoc eſt, non violatis ſuis conſtitutionibus) vacare judicio Chriſti antemeridiano tempore Paraſceues ſeu veſperæ Paſchatis: ſuppliciumque de eo ſumere pomeridiano tempore: quod & ab iis eſſe factũ conſtat ex Euangelio. At non potuerunt id facere ex tua & Baronii ſentẽtia ipſo Paſchatis, ſeu primo azymorum die, niſi pedibus proculcata diei Feſti religione & violata ſua ipſorum conſtitutione, quo etſi incitari potuerunt à proprio in Chriſtum furore; tamen Scriptura tacente & nulla neceſſitate nos eo adigente, ut ſtatuamus id ab ipſis eſſe factum, placet Caſauboni, & eorum, quos ſequitur, reſponſio, *Phariſæos quidem medullam & interiorem legis vim contemſiſſe, exteriorem tamen corticem ejus voluiſſe videri ſervare.* Addo, conſtitutionum ſuarum fuiſſe, homines illos magis quam Legis divinæ ſtudioſos: itaque non temere eos violaſſe conſtitutionem illam ſuam de non vacando die feſto judicio capitali.

Ad locum Matth. XXVI, v. μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ ἵνα μὴ θόρυβος γένηται, non ſtricte de prima die azymorum, ſed late de toto tempore Feſtivitatis accipio illud ἐν ἑορτῇ: nempe per illud tempus magnus erat populi undiquaque Hieroſolymam concurſus, à quo ſibi metuebant ſacerdotes, ne ſeditio occaſione ſupplicii Chriſti excitaretur: noverant enim Chriſtum mul-

tis eſſe probatum, & plebi, ſi non quidem Hieroſolymitanæ, at ſaltem reliquæ eſſe acceptiſſimum. Itaque verebantur, ne aliunde adveniens plebs non pateretur Chriſtum ab ipſis prehendi & affici ſupplicio. Volebant ergo differri Chriſti vincula & ſupplicium poſt exactum totum feſtivitatis Paſchatis tempus, in cujus complexu dixi modo includi etiam poſſe ipſam paraſceuen, quia eo potiſſimum die confluebat populus catervatim ad Feſtum: verum oblata per Iudam proditorem commoda Chriſtum prehendendi occaſione, à decreto ſeu conſilio hoc ſuo videntur receſſiſſe, ne elaberetur tam oportuna Chriſtum interficiendi occaſio. Concedo itaque & ultro largior Baronio, decretum illud non fuiſſe ſervatum, adeoque & in illo conſilio atque deliberatione rationem proprie non habuiſſe Phariſæos religionis diei Feſti, ſed periculi tumultus. Non inde tamen ſequitur, eos religionem omnem diei Feſti contempſiſſe, cum de Chriſto ſupplicium ſumſerunt. Fateor itaque, eo loco neque Baronii ſententiam vehementer urgeri, neque Caſauboni promoveri. Fateor & loco Ioh. XIII, 1. non valde urgeri ſententiam tuam: itaque & illum mitto.

Sic puto everſas quas ſententiæ tuæ ſubſternis hypotheſes, & vindicata pleraque ſaltem, ſi non omnia, Scripturæ loca,

loca, quæ Caſaubonus pro ſua adverſus Baronii ſententiam adduxit, quorumque vim ingenioſa ſane interpretatione declinare voluiſti: ſed quæ ruentibus hypotheſibus tuis una cum ipſis concidit.

Poſito jam (ut ex antecedente noſtra diſputatione liquet) Chriſtum die Veneris ſeu feria ſexta paſſum eſſe, Iudæos autem Sabbato ſequenti Paſcha ſuum celebraſſe, planum eſt, Pentecoſten eo anno incidiſſe in diem Dominicam, uti (referente Scaligero) *tota olim credidit antiqua Chriſtianitas,* cui non eſt temere deroganda fides: nihil ut opus ſit violenta illa verborum Lucæ (Act. 11, 1.) *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι*, pro *μετὰ τὸ συμπληρωθῆναι* interpretatione, quam tu poſt Bezam affers, cum propriiſſime accipi poſſint. Spiritus enim ſancti miſſio facta eſt die Dominico, mane circa ſolis ortum, (hora enim erat tertia poſt ſolem ortum, hoc eſt, nona matutina, uti horas nos hodie numeramus, quum Petrus concionem ſuam habuit Act. 11, 15.) cum Pentecoſte incepiſſet in occaſu Solis antecedente, ac proinde Dies Pentecoſtes dimidium jam tum erat elapſum, quum miſſus eſt in Apoſtolos Spiritus ſanctus. Quod ſi ſecundum te Iudæi Paſcha ſuum celebrarunt eo quo Chriſtus die, nempe die Veneris; Pentecoſte eo anno fuerit dies Sabbati, ac proinde ſi Spiritus ſanctus miſſus fuit die Dominica, ut tota

Digitized by Google

credidit pia antiquitas ; neceſſe eſt, eum eſſe miſſum mane diei ſequētis Pentecoſten, hoc eſt , horas XII , poſt exactum penitus totum Pentecoſtes diem feſtum: quod neſcio an ſatis quadret & conſtare poſſit cum illis Lucæ verbis , *ἐν τῷ συμπληρȣ̃σθαι τὴν ἡμέραν τ͂ πεντηκόςης.*

Ad locum Ioh. XIIX, 31. *ἡμῖν ȣ̓κ ἔξεςι ἀποκτεῖναι τινὰ* , neque Muſculi , neque tuæ accedo interpretationi. Non Muſculi, quia Iudæis dicendum non fuiſſet, *οὐκ ἔξεςιν ἡμῖν ἀποκτεῖναι τινὰ* ; ſed, *οὐκ ἔξεςιν ἡμῖν ςαυρῶσαι τινὰ.* Non tuæ, quia, uti ex antecedentibus liquet , licuit Iudæis ea die vacare judiciis capitalibus matutino tempore. Itaque *οὐκ ἔξεςι* ſimpliciter accipio pro *ἐξȣσίαν οὐκ ἔχομεν.* Etenim Iudæis ſabbato Archelao Herodis filio facta jam pridem erat Romanorum provincia, quo nomine Pilatus, & ante eum Coponius, Ambivius, Rufus, Gratuſque Proconſules iſtic fuerunt : nec te juvat locus Act. 5, 40. (poteras addere & VII, 18,) nam alia tum erat Iudææ conditio, quam antea fuerat ſub Pilato. Herodes, utpote Agrippæ , Caligulæ & Claudio chariſſimus , Iudeæ regnum ab ipſis impetrarat, uti ex Ioſepho notum eſt.

Illa autem *σημαίνων ποίῳ θανάτῳ , ἤμελλεν ἀποθνήσκειν* poſsunt innuere Chriſti crucifixionem: neque tamen , ut vult Muſculus, inde ſequitur , ſolam crucifixionem Iudæis fuiſſe à Romanis prohibitam,

Digitized by Google

bitam, quia poſtulantes Iudæi ut Pilatus de Chriſto ſupplicium ſumeret, certi erant eum eſſe cruci affigendum: erat enim crux apud Romanos vilium capitum uſitatiſſimum ſupplicium, qualis erat Chriſtus in Iudæorum accuſantium, & Pilati condemnantis, & Romanorum ei illudentium, exiſtimatione.

Luc. XXIII, 54. σάββατον δὲ ἐπέφωσκε ſimpliciter accipio pro *inſtabat, prope erat Sabbatum*: mox erat ut occidente Sole, ſed Luna & reliquis aſtris exorientibus, ſabbatum illuceſceret; nam ut aliarum gentium dies incipiebat à Solis ortu, cum Sol ἐπιφώσκει: ſic Iudæorum dies à nocte, poſt ſolis occaſum incipiens, inchoatur, cum Luna & cætera aſtra ἐπιφώσκουσι. Tuæ autem interpretationi adverſatur id, quod Lucas immediate poſt illa verba σάββατον ἐπέφωσκε ſubjicit à mulieribus ſpectantibus ubinam corpus Chriſti locaretur, & aromata præparantibus: indicat enim illud hoc ab ipſis factum eſſe, cum σάββατον ἐπέφωσκε: factum autem id eſt ſub finem diei Veneris: ſequitur enim, καὶ τὸ σάββατον ἡσύχασαν: ac proinde illud τὸ σάββατον ἐπέφωσκε, accipiendum eſt de tempore quod eſt paulo ante ſolis occaſum. Alioqui ſecundum tuam interpretationem erit in Euangeliſtæ narratione ὕστερον πρότερον, nam præparatio aromatum facta eſt ſub finem diei Veneris: ἐπέφωσκε autem τὸ

σάββατον, quod illam præparationem præcedit, notat ſecundum te matutinum tempus diei Sabbati. Non ſunt autem ὕστερα πρότερα ſine neceſſitate in hiſtoria admittenda. Quamvis autem ἐπέφωσκε τὸ σάββατον jungatur cum ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, non autem cum ἡσύχασαν τῷ σαββάτῳ; nihilominus apte ab Euangeliſta notabitur (ut tu vis) ἡμερολόγιον tridui quo Chriſtus in ſepultura jacuit, nam ἦν ἡμέρα παρασκευὴ, & ἐπέφωσκε τὸ σάββατον notant finem diei Veneris, ſeu partem diei primæ: ἡσύχασαν τὸ σάββατον notat totum Sabbatum, ſeu, ſecundum diem: τῇ δὲ μίᾳ τῶν σαββάτων notat primam diei Dominicæ partem, ſive diem tertium. Atque hæc de prima tua diatriba.

Venio ad poſteriorem de Sabbato Deuteroproto. Atque hic ſane tuæ multo magis, quam vel Scaligeri, vel docti illius amici tui acceſſerim ſententiæ: at non placent tamen in ea iſta duo: alterum, quod denominationis illius rationem petis à lectione Paraſchæ החדש. Alterum, quod Sabbatum illud in Calendario illo tuo ter collocas in menſe Adar, ſemel tantum in menſe Niſan. Scio te id facere ſequutum hodiernorum Iudæorum (in legendis omnibus totius legis anno vertente Paraſchis) rituale. Sane certum quidem eſt, Legis & Prophetarũ partem aliquam in Iudæorum Syn-
ago-

agogis ante Chriſti tempora fuiſſe publice lectam: at non pariter certum eſt, num eadem tunc fuerit Paraſcharum Legis & Prophetarum diviſio quæ hodie eſt, an vero diverſa: Et ſi eadem fuit, certum non eſt atque exploratum, an idem tum temporis fuerit Paraſchas illas per totum annum legendi ordo atque ratio, quæ jam inter Iudæos obtinet. Nam legendi ratio vel vaga eſt & incerta atque in lectoris arbitrio poſita illiuſque prudentiæ commiſſa, vel certa eſt & definita eademque & uniformis lege publica ubique conſtituta. An certa tum fuerit & definita, an vero vaga, & à legentis arbitrio pendula, quis certo poſſit affirmare? maxime cum ex Lucæ IV, 17, conſtet, Chriſto in Synagoga legenti non datum fuiſſe certum & definitum locum Scripturæ legendum, ſed forte oblatum ab eo fuiſſe lectum. Deinde, eſto, certa fuerit legendi ratio: non erit ſtatim tamen eadem cum illa quæ hodie in Iudæorum Synagogis obtinet. Quidni enim poſteriorum Iudæorum περιεργία & ſuperſtitio in tota liturgiæ ratione atque diſpoſitione multum deflexerit ab antiqua & primitiva ſimplicitate: multa addiderit & immutaverit: non ſecus ac in Eccleſia Pontificia factum eſt, ubi liturgiæ ratio multum eſt immutata à prima illa & ſimpliciſſima, quæ Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ tempore obtinebat

bat forma. Et ſane moroſa & ſcrupuloſa quatuor illarum Paraſcharum diſpoſitio, quam ex Iudæorum ritualibus in Calendario tuo nobis proponis, videtur omnino mihi ſapere recentiorum Iudæorum περιεργίαν magis quam veterum ſimplicitatem. Et Scaliger de Emendat. temp. pag. 143, ubi de Cyclo Iudæorum Carrariin, teſtatur hodiernos Iudæos, quos in ישראלים & בבלים diſtinguit, *in lectionibus & precibus immane quantum diſcrepare.* Quid ſi ergo tota lex à capite ad calcem ordine continuo nec interrupto legebatur, & anno vertente abſolvebatur? Sane ſi (ut vis) paraſcha בראשית initio anni civilis legebatur, quod non abnuerim, cum inter initium Tiſri, & initium Niſan intercedant integri ſex menſes(& in annis embolimæis ſeptem,)hoc eſt, 24, aut 25, & non raro 28, vel 29 Sabbata; profecto lectio paraſchæ החדש (quæ eſt 14 legis paraſcha) non incidit in menſis Niſan initium, neque in finem Adar.

Quod ſi in lectione habita tum fuit (ut nunc habetur) aliqua argumenti Paraſcharum ratio, ut eæ Paraſchæ illis Sabbatis lectæ ſint, quarum argumentum aut argumenti pars aliqua utcumque quadrat cum Sabbato & ſolennitate in qua legebantur: ſane paraſchæ החדש argumentum quadrat quidem primo menſis Niſan Sabbato, aut illi qui immediate

mediate præcedit 10 diem Niſan, propter Agni Paſchalis, quæ eo die fieri debuit, ſeparationem, totamque adeo Paſchatis celebritatem: at vehementer mihi abſurdum videtur, ut ea Paraſcha legatur Sabbato antecedente menſis illius initium: quam enim abſurdum eſt legere iſta verba: *Hic menſis erit vobis omnium totius anni primus*, quum verſaris in ultimo anni menſe? nec minus ἄτοπον mihi videtur, ut illud Sabbatum habeatur pro primo anni ſacri Sabbato, quod illius ultimum eſt Sabbatum: id quod tamen in illo Calendario tuo ter ſingulis quadrienniis contingit, uti Sabbatum החדש (quod tu vis eſſe δευτερόπρωτον) ter incidat in menſem Adar, ſemel duntaxat in menſem Niſan.

Sabbatum itaque δευτερόπρωτον exiſtimarem dicendum potius eſſe primum quolibet anno menſis Niſan Sabbatum, ut πρῶτον quidem dicatur, quia primum eſt anni cujuſlibet ſacri Sabbatum: δεύτερον vero, quia eſt poſt primum anni civilis Sabbatum: atque ſic primum anni civilis Sabbatum erit (ut tu non incommode cenſes) abſolute primum, & ut ita dicam πρωτόπρωτον: primum autem anni ſacri Sabbatum erit δεύτερον πρῶτον, unde factum eſt compoſitum δευτερόπρωτον.

Neque tibi aſſentior in explicatione verborum iſtorum, τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι. Nam ſi ea mens Pha-

Phariſæorum fuiſſet, quam tu illis tribuis; non opus erat addere illud *ἐν τοῖς σάββασι*: ſatis erat dicere, *ὃ οὐκ ἔτι νῦν ἔξεστι ποιεῖν*, quod nondum licet facere, non vero, quod non licet facere Sabbato. Non debuit inquam Sabbatum adduci pro cauſa cur non liceret facere, ſed temporis Paſcha antecedentis circumſtantia. Neque Chriſti apologia pro diſcipulorum facto arguit neceſſario illud alio nomine fuiſſe illicitum, quam quod tum eſſet Sabbatum: Erat enim opus illud ſervile, utpote cibi apparatus, à quo in Sabbato fuit abſtinendum; quomodo decimanda fuit mentha, & cuminum, & omne olus. Pertinebat nempe illud ad *τὰ λεπτότερα τοῦ νόμου*, quæ non erāt omittenda, teſte ipſo Chriſto, Matth. XXIII, 23.

Ideo autem Deus jubebat poſtridie Paſchatis offerri ſibi manipulum novarum frugum, quod tum demum tantum incipiebant novæ fruges matureſcere: volebat autem ſibi conſecrari primitias novarum frugum, hoc eſt, primas quæ maturuiſſent ſpicas: plane quomodo in hoc noſtro diſtrictu Andegavenſi certo quodam loco circa medium menſem Auguſtum Miſſa canitur vini novi: non quod tum ullibi toto iſto tractu muſtum exprimatur in torculari & vites vindemiari incipiant, id enim non fit niſi circa finem Septembris vel initio Octobris: ſed quia circa medium Auguſti invenitur

tur interdum uvæ racemus unus & alter præcox necdum plane maturus, ſed utcunque edulis, ex quo exprimi poteſt ſuccus qui utcunque muſtum referat. Nec ideo Niſan dictus eſt menſis אביב *ſpicarum*, quod ſtatim ab ejus Neomenia vel etiam ante matureſcerent fruges (alioqui Deus ſtatuiſſet Paſcha non in medio menſe ſed initio menſis) ſed quod eo demum menſe & circa illius medium incipiant matureſcere, ea nempe anni tempeſtate qua egreſſi ſunt ex Ægypto: Egreſſi ſunt autem non initio, ſed medio menſe Niſan.

Neq; vero ſi (ut tu vis) jam dudum ante Paſcha cœpiſſet πανδημεὶ meſſis, opus fuiſſet ad abſolvendã meſſem tanto temporis intervallo, ſeptem puta ſeptimanarum, quas Deus ipſe voluit intercedere inter Paſcha & Pentecoſten. Nec omnes qui ad Feſtum aſcendebãt oportuit manipulum novarum frugum ſecum afferre, quem Deo offerrent, ſatis fuit ſi vel unus offerretur: ſatisfiebat Legi ſi vel pugillus in tota Iſraelis terra inveniretur frugum matureſcentium, qui Deo poſtridie Paſchatis offerretur. Non negaverim quidem, paucis ante paſcha diebus potuiſſe interdum reperiri ſpicas aliquot matureſcentes: at cœptam fuiſſe meſſem ante Paſcha, ſolum uſum atque eſum novarum frugum fuiſſe interdictum, nunquam conceſſerim, dicente lege Deut.

XVI, 9,

XVI, 9, *falcem immitti in meſſem poſtridie tantum Paſchatis*. Neque repugnat locus à te ex Ioſepho adductus: nam verba illa *τῇ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων τῶν καρπῶν οὓς ἐθέρισαν μεταλαμβάνουσι*, commodè accipi ſic poſſunt, ut poſtridie Paſchatis (nō prius) licuerit falcem immittere meſſi, atque ex demeſſis frugibus eodem die deguſtare: nam illud *οὓς ἐθέρισαν* non innuit neceſſario demeſſas fuiſſe fruges ante Paſcha: quin ſequentia illa *τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν* aperte innuunt prius non licuiſſe falcem immittere niſi ad metendum manipulum Deo offerendum.

Conjecturæ tuæ de loco Clementis Alexandrini plane accedo. Sed ea ſententiæ meæ de Sabbato *δευτεροπρώτῳ* magis favet quam tuæ, imo tuum de Sabbato illo Neomeniam Niſan ter unoquoque quadriennio antevertente evertit. Nam qui vere dici poſſit Iudæos non *ἄγειν σάββατον* illud primum *ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ*; ſi ſecundum te ſemel tantum in quatuor annis occurrat cum Lunæ *φάσει*, ter autem *φάσιν* antevertat?

Tecum ſentio Petitum hallucinari in loci Maimonidis interpretatione: neque enim interpretationis illius volam aut veſtigium video in verbis Maimonidis. Sed neque tu mihi videris ſatis capere Maimon. eo loco mentem, quæ aperta & plana eſt: nempe ad Neomeniarum obſer-

obſervationem omnes & ſingulos non tam arcte teneri, quam ad ſeptimæ diei ſive Sabbati obſervationem. Ratio eſt, quia vel ſtupidiſſimus quiſque ruſticus, qui poteſt numerare 1, 2, 3, 4, 5, 6, facile poteſt ſcire quando redit in orbem dies Sabbati: at non ſic facile poteſt unuſquiſque obſervare τὴν φάσιν τῆς σελήνης, à qua inchoantur Neomeniæ: oportet ut illud diſcat ad indicente ſynedrio, cui Deus curam illam commiſit loco illo celebri Exod. XII, I, החדש הזה &c. Sic ergo reddenda ſunt Maimonidis verba: *φάσις τῆς σελήνης non eſt tradita* (à Deo) *omni homini quomodo Sabbatum in prima rerum creatione ab ipſo inſtitutum: ſiquidem quilibet numerare poteſt ſex* (nempe dies) *& tum quieſcere ſeptimo. At Synedrio traditum eſt illud* (nempe obſervare τὴν φάσιν τῆς σελήνης) *& cum Synedrium indixerit & præfinierit illum diem pro Neomenia, tum ipſe eſt Neomenia*, (hoc eſt, habendus eſt pro Neomenia, non prius) *juxta id quod ſcriptum eſt* החדש הזה לכם *vult dicere tradetur vobis*, nempe à Synedrio, hoc eſt, Synedrium vobis indicet Neomeniam mẽſis, ut omnes ſcire poſſint quando illa inchoanda ſit. Itaque in eo Maimonidis loco שבת בראשית non ſignificat Sabbatum in quo legitur Paraſcha בראשית, ſed ſignificat Sabbatum à Deo in rerum creatione inſtitutum. Atque hæc de Sabbato deuteroproto.

Porro

Porro aliquot ſunt in utraque tua diatriba σφάλματα Typographica, quæ ſenſum videntur mihi pervertere, qualia videor mihi iſta quatuor animadvertiſſe. Primo, pag. 14. ſub finem, qui à veſpera *die* 13, dicendum, *die* 15, nam Paſcha immolabatur ſub finem diei XIV, edebatur autem initio diei XV; qui dies XV incipiebat ab occaſu ſolis: agitur autem iſtic de die quo Chriſtus una cum Iudæis edit Paſcha. Secundo, pag. 18, in loco è cap. 7, codicis Peſachim producto poſt להיות omiſſa eſt vox בשבת: ſenſus enim loci hic eſt, *Oſſa & nervi & reliquiæ* (agni ſcilicet) *comburuntur die* XVI, *niſi ſi contingat ut* XVI *dies ſit Sabbatum, tum enim comburuntur die xvij.* Tertio, pag. 57, circa medium, *Paraſcha* זכור *debet eſſe proximo feſto ante Sabbatum Purim*; dicendum eſt *proximo Sabbato ante Feſtum Purim*: id quod liquet ex tuo Calendario quarto Paraſcharum. Quarto, pagina 58, linea ultima, *& Sabbatum poſt eſt* והפסקה, dicendum eſt, *Sabbatum poſt Purim eſt* והפסקה, omiſſa eſt vox *Purim*: quod itidem manifeſtum eſt ex eodem Paraſcharum Calendario. De Petito, quem neſcis *ater an albus ſit*, moneo eum eſſe verbi Divini miniſtrum & S. Theologiæ profeſſorem in Eccleſia & Academia Nemauſenſi reformata *à Niſmes.*

Hæc habui Doct. Cloppenb. animad-

vertenda

vertenda ad doctiſſimas tuas diatribas; quæ rogo velis æqui bonique conſulere, tanquam ab eo profecta, qui te amat, & magni pro merito tuo facit.

Salmurii, v *Cal. Aug.*
M D C XXXIV.

Tuus ex animo

L. CAPPELLVS.

Doctiſ-

Digitized by Google

Doctiſſimo atque amiciſſimo viro, D. LUDOVICO CAPPELLO, Paſtori, & Profeſſori linguæ ſanctæ digniſſimo, in Eccleſia, & Academia Salmurienſi.

IOHAN. CLOPPENBURCH S. P. D.

Vir Reverende, Doctiſſime, atque amiciſſime,

DIcere nequeo, quanta me lætitia perfuderis, quando gratum tibi fuiſſe ſignificaſti veteris noſtræ amicitiæ ἀναζωπύρημα, & dignatus es ſymbolam tuam conferre ad accuratius utriuſque quæſtionis à me tractatæ examen. Dolui, quod aliis occupationibus, quâ domi quâ foris, diſtentus & avocatus hactenus fui à ſerio animadverſionum tuarum ſcrutinio, quod tandem aggreſſus non poſſum à me impetrare palinodiam aliquam eorum quæ ſcripſi: quin confirmatior factus in utraque illa hypotheſi, quæ tibi ſuſpectæ viſæ ſunt, hæc reponenda duxi, quæ inter nos æqua lance expendantur.

Prior hypotheſis fuit de Agno Paſchali in ſolo Templo mactando. Altera, de

Paſcha-

Digitized by Google

Paſchatis, ſecundo die Azymorum, inſtauratione. Has tu cenſes parum eſſe certas ac ſolidas. Ac contra priorem quidem diſputas potiſſimum tribus argumentis. Primo, Ab adſcenſionis impoſſibilitate: nimirum cenſes omnes quos Lex jubebat Paſcha celebrare, neutiquam potuiſſe Hieroſolymam aſcendere, ſcilicet fœminas, pueros, & ſenes invalidos. Secundo, A loci in Templo, in quo victimæ mactabantur, anguſtia, quæ capere non poterat agnos omnes, ne in illorum quidem qui Hieroſolymam adſcendebant uſum mactandos. Tertio, A temporis quoque nimium contracto ſpacio ab hora tertia ad quintã veſpertinam: intra quod cenſes non omnes agnos Hieroſolymis comedendos in ſolo Templo mactari potuiſſe. Munimentum vero harum rationum collocas in Philonis Iudæi auctoritate, qui (loco illo quem ex Caſaubono laudas Exerc. pag. 470) dicat exſerte omnes in univerſum Iudæos factos eo die Sacerdotes, quatenus ſingulis licuit mactare agnum Paſchalem ſine Sacerdotum opera & miniſterio, *ἱερεῖς οὐκ ἀναμένοντας* non exſpectatis Sacerdotibus.

Si Philonis auctoritate neceſſum eſt ſtare aut cadere; viceris hactenus, quod non in ſolo Templo, ſed etiam extra Templum privatis licuerit domi agnum immolare, Nec enim uno iſto loco, qui

exſtat in libro de Decalogo, Philo aſſerit iſtam ut vocat *αὐθεργίαν τῶν θυσιῶν*; ſed (ut nihil diſſimulem) in libro de vita Moſis hæc habet æque exſerte: *ἐν ᾗ ἑορτῇ*, inquit, *οὐχ᾽ οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ᾽ οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται τῶν κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργοῦντος.* & mox, *ἑκάστου νομίζοντος ἱερωσύνῃ τετιμῆσθαι.*

Verum enimvero non adducor ut credam Iudæi mentem fuiſſe, quemadmodum tu vis, ut quod licuerit Hieroſolymis in ædibus privatis, illis, qui ob Feſti religionem aſcenderint, idem quoque fas eſſet domi illis, qui in Ægypto, Babylonia, Aſia, Græcia, Italia erant Feſti tempore. Deinde, quum indefinite loquatur Iudæus, neque minus de aliis Paſchalibus ſacrificiis loquatur quam de Agno, non crediderim ipſum id tibi perſuaſurum, quod aſſerit, Legis juſſione & Agnum & alia ſacrificia Paſchalia in privatis ædibus mactata fuiſſe abſque Sacerdotum miniſterio: tibi enim videtur Lex tacere vel de ſolo Agno, fueritne in Templo tantum an domi quoque immolandus. Porrò, dicam libere, non leve *ἄτοπον* mihi videtur, ſtatuere illum quem tu poſt Philonem urges Levitici Sacerdotii influxum in privatos, quo omnes Iudæi ſacerdotes facti ſint ſemel

quot-

quotannis ſinguli. Si enim Theſin hanc revoces ad Hypotheſin, omnino neceſſe erit ſtatuere, Apoſtolos Chriſti, quin ipſum Chriſtum quotannis ſemel factos Sacerdotes Leviticos.

Denique, eſto fuerit iſtiuſmodi quotannis influxus Sacerdotii in privatos Iudæos, bene ſaltem habet, quod immolationem nihilominus aliquam agnoſcis publice in Templo peragi ſolitam, & quod illi hanc aſſeris prærogativam, ut affirmes privatam, quæ per familias ubique fiebat immolationem ſanctificatam fuiſſe per publicam illam quæ in Templo peragebatur. Atqui huic (etiamſi deſerenda eſſet illa Hypotheſis mea de Agno in ſolo Templo immolando) argumētari ſaltem licebit ad Theſios principalis confirmationem, caruiſſe omni *ἱερωσύνῃ* privatas illas immolationes, quæ non exſpectato illo Sacerdotii influxu, anteverterent diem publicæ illius immolationis, quæ in Templo peragebatur. Quidquid autem ſit de Philonis fide, quæ mihi hic ſuſpecta eſt, videamus quæſo an ſatis certa & ſolida ſint, quæ ex tuo ſcrupulo diſputas.

Primum quod objicis eſt: Quia omnes etiam fœminæ & ſenes invalidi & pueri, etiam ſervi precio empti & circumciſi Paſcha comedere debuerint: neceſſariò debuiſſe etiam extra Hieroſolymam domi immolari pro illis qui per ætatem

aut valetudinem non potuerunt Hieroſolymam aſcendere. Reſpondeo: Mandatum de Paſchate comedendo non obligaſſe ſimpliciter omnes ubique fœminas, ſenes, pueros, ſervos circumciſos, ſed illos omnes qui in loco illo eſſent ubi ex juſſione divina peragebatur immolatio: atque ea propter divino mandato maribus tantum incumbebat neceſſitas Hieroſolymam adſcendendi, Deut XVI, 16. Fœminæ ergo, quæ Hieroſolymam non evocabantur, & illi qua pueri, qua ſenes invalidi, qui adſcendere non poterant, Feſtum quidem domi agitare debuerunt ἐν ἀζύμοις, quando Hieroſolymis τὸ πάσχα ἐθύθη. Nefas vero iis fuiſſe cenſeo Paſcha immolare domi: nam ſi id ipſis fas fuiſset, ſupervacanea fuiſset & promiſſio illa Exod. XXXIV, 24, qua divinitus cautum erat, tempore Feſti, terris & poſseſſionibus ipſorum, ne illas quiſquam hoſtium concupiſceret: præſupponit enim promiſſio iſta terram orbandam eo uſque maſculo ſexu, ut abſque illo miraculo impune ab hoſte poſset occupari. Deinde, ſupervacanea quoque fuiſset Paſchatis ſecundi inſtitutio, ut menſe ſecundo ſe Hieroſolymis ſiſterent, qui tempore primi Paſchatis eſsent בדרך רחקה in via remota, Num. IX, 10, 11. Si quidem in quocunque etiam remotiſſimo loco domi Paſcha immolare licuiſset. Atque omnino etiam illud

quod

quod Iudæi ab everſo Templo Feſtum quidem obſervant, agnum tamen Paſchalem non immolant, mihi quidem certum indicium eſt, nunquam illos id extra Hieroſolymam in Ægypto, Babylonia, Aſia, Græcia, Italia, aut alibi ante everſum Templum uſurpaſse: neque enim abſque Legis religione ita ſimul & ſemel per univerſum orbem iſta libertate ſe mulctaſsent, ut ejus nec vola nec veſtigium ſupereſset.

Alterum quod objicis eſt, loci in Templo, in quo victimæ mactabantur, anguſtia. Atqui ſcrupulus hic facile tollitur, ſi dixero, jam inde à prima Templi dedicatione proſpectum fuiſse huic negotio, ut ſi ob victimarum numerum locus mactationis ordinarius, quin Altare ordinarium non ſufficeret, Atrium Templi medium inſuper conſecraretur, ut ibi quoque mactare fas eſset, 2 Chron. VII, 7.

Tertium ſcrupulum de tempore nimium contracto, duarum ſcilicet horarum, reperio in his verbis Maimonidis Tamidin cap. 1, שאי אפשר שיקריבו כל ישראל פסחיהן בשתי שעות *ἀδύνατον*, erat ut offerret totus Iſrael Agnos ſuos Paſchales in duabus horis. Breviter repono ex Barthenacra in Maſſechet Peſachim cap. 5, שהכהנים היו רבים ווריזין, Sacerdotes fuiſſe multos & expeditos ac feſtinantes; deinde ex Maimonide ibidem;

בכל הימים שהיו שם קרבנות רבות יתאחרו שתי שעות , Quandocunque victimæ numeroſiores adductæ fuerunt, duabus horis auctum fuiſſe temporis ſpatium, anticipata mactatione jugis ſacrificii: quod fuſius explicatum vide apud Maimonidem eundem loco jam indicato Tamidin cap. I, §. 3, 4, 5, 6: & Tractatu תפלה cap. III, §. 2; & חמץ ומצה cap. I, §. 8. Manet ergo hactenus inconcuſſa Hypotheſis mea de Agno non immolando niſi in Templo Hieroſolymitano, tempore Chriſti: quam etiam tuetur Maimonides in Korban Peſach cap. I, §. 3, his verbis, אין שוחטין את הפסח אלא בעזרה כשאר הקדשים׃ אף בשעת התר הבמות לא היו מקריבין הפסח בבמת יחיד׃ וכל המקריב את הפסח בבמת יחיד לוקה׃ שנאמר לא תוכל לזבוח את הפסח באחד שעריך. מפי השמועה למדו שזו אזהרה לשוחט בבמת יחיד אפילו בשעת התר הבמות: Aperte docet prohibitam fuiſſe Paſchatis mactationem, quæ non fieret in atrio, ubi reliqua ſacra peragebantur. Quin priſtinis temporibus, quando permiſſa erant excelſa loca, non tamen licuiſſe Paſcha immolare in excelſo loco privati: adeoque punitum fuiſſe qui privatim ſacrificaret Paſcha: atque hanc prohibitionem expreſſam eſſe verbis illis Deuter. XVI, 5, Non poteris mactare Paſcha in aliqua ex civitatibus tuis, &c. Atque eodem capite conſequenter video illum exſerte docere, quod ego pag. 2, ex Brougtoni allegatis

legatis propoſui, Agnum privatim comedendum è Templo demum deferendum fuiſſe in ædes privatas, poſt igne abſumptum adipem & ſanguinem delatum ad Altare כנגד היסוד. Atque hic conſiderationem omnino meretur id quod idem Maimonides ſuggerit eodem Tractatu in fine capitis x, quando poſt memoratam inter alia quædam aſperſionem illam ſanguinis, qua tingebantur poſtes ædium cum ſuperliminari, ſubjungit hæc verba: אין אותן הדברים נוהגות ולא נעשו אלא בפסח מצרים בלבד. Non ſunt res illæ uſitatæ neque factæ ſunt niſi in Paſchate Ægypti tantummodo. Antiquatio quam docet iſtius cæremoniæ ut in uſu non fuerit poſt primum & unicum Paſcha quod in Ægypto celebratum fuit, iſta inquam antiquatio mihi quidem videtur evincere ſatis ſolida conſequentia, non fuiſſe quoque in uſu ut domi mactaretur Paſcha: nulla enim vel probabilis ratio adferri poteſt, quare non antiquata domeſtica mactatione, antiquari debuerit ritus ille tingendi poſtes ædium aſperſione ſanguinis, Exodi xii, 22. Miror autem quod tibi Lex videatur tacere de Agno in Templo immolando; & quod locum Deut. xvi, 5, 6, cenſes ita accipiendum eſse, ut ne populus ad Feſti hujus (ut & reliquorum) celebrationem publice conveniret alibi quam in eo loco quem Deus elegiſſet, non vero, ut ne

 agnus

agnus Paſchalis alibi quam in Templo vel Tabernaculo mactaretur, nec potuerit per ſingulas familias domi privatim omni in loco edi. Atqui manifeſtus ſermo eſt de Θυσίᾳ Agni: atque illam Deus alibi fieri vetat, quam in loco illo quem ipſe elegiſſet ad collocandum illic nomen ſuum. Nam, inquit Deus, Non poteris alibi convenire vel Feſtum quomodocumque celebrare, ſed exſerte לאתוכל לזבח את הפסח, Non poteris Θῦσαι τὸ πάσχα. verſ. 5: & mox, שםתזבח את הפסח ἐκεῖ Θύσεις τὸ πάσχα, verſ. 6. His ergo verbis fretus omnino aſsero, alibi quam in publico loco, in quo Dei nomen habitaret (qui tempore Chriſti fuit Templum Hieroſolymitanum, Matth. XXIII, XXI.) nefas fuiſse Θῦσαι τὸ πάσχα, ſeu mactare Agnum Paſchalem, ac conſequenter non potuiſse domi privatim alibi edi, quam quo è Templo tempeſtivè deferri poterat aſsandus & comedendus.

Accedo ad vindicias ſecundæ meæ Hypotheſis de Paſchate per biduum continuato, ſeu ſecundo Azymorum die inſtaurato. Non repugnas de recentioribus in hoc ſuo exilio Iudæis: At non concedis id in Iudæa Chriſti tempore factum fuiſſe: Atque fretus iis quæ ex Maimonide profers, cenſes ruere penitus fundamentum & hypotheſin meæ aſſertionis. Faciamus periculum.

Si

Si Maimonidis iſtis verbis quæ adducis ſtare aut cadere oportet, fateor cogitandum mihi eſſet de aliqua palinodia. Quanquam neq; eſt totus tuus Maimonides, non enim intelligendus eſt de recẽtioribus in hoc ſuo exilio Iudæis, prout tu accipis verba ejus Tract. יום טוב cap. I, §. 21, ומדברים שנתחדשו בגלות. Explicat ſe ipſum eodem Tractatu cap. VI, §. 14, his verbis, היו בזמן שהיו בית דין של ארץ ישראל מקדשין עלפי הראיה והיו בני הגליות עושין שני ימים כדי להסתלק מן הספק לפי שלא היו יודעין היום שקדשו בני ארץ ישדאל· אבל היום שבני ארץ ישראל סומכין על החשבון ומקדשין עליו אין י"ט שני להסתלק מן הספק אלא מנהג בלבד. Tempore illo in quo erat domus judicii terræ Iſraelis, ſanctificabant (Neomeniam) ad Lunæ *φάσιν*. At filii captivitatis celebrabant biduum, ut ſuperarent dubietatem: quoniam ignorabant diem quo ſanctificarent filii terræ Iſraelis. Sed hodie quando filii terræ Iſraelis nituntur computo, & juxta illum ſanctificant, non datur Feſto biduum, ut ſuperent dubietatem, ſed tantum ex conſuetudine. Vides ut recentioribus in hoc ſuo exilio Iudæis nihil relinquat præter conſuetudinem ratione caſſam: atque bidui originem referat ad tempus domus judicii, ejuſque bidui obſervationem tribuat Iudæis *τῆς διασπορᾶς* ex veteri captivitate. Video ego de cætero illum tecum face-

re, quoad praxin Hieroſolymitanorum, quos vis expectaſſe Lunæ *φάσιν* in figendis Neomeniis, atque habuiſſe unum tantum diem Feſtum.

Sed bene habet, quod tibi ipſi in hoc argumento diſſimulationis ſuſpectus eſt ipſe, & reliqui Doctores Thalmudici. Conjectura tua eſt, diſſimulare voluiſſe Doctores Thalmudicos diverſam quæ olim obtinuerat inter Iudæos celebrandi Paſcha rationem, ex varia Neomenias inchoandi ratione. Alii nēpe, inquis, *ἀπὸ φάσεως*, alii verò *ἀπὸ συνόδου* eas inchoabant. At quare id diſſimulandum putarint Thalmudici Doctores? Quia, inquis, Babylonii, & qui in Ægypto erant, quique inde quaquaverſum per univerſum terrarum orbem fuerunt Iudæi, ex Aſtronomiæ peritia, cui plurimum ſtudebant ſecundæ illæ gentes, videntur Neomenias ſuas inchoaſſe *ἀπὸ συνόδου*, quæ abſtruſior eſt paulo ratio, & maxime genuinum ac naturale menſis Lunaris initium, Iudæi vero Hieroſolymitani (quia forte minus ſcientiæ hujus periti) *ἀπὸ τῆς φάσεως*, quæ eſt magis popularis & aperta menſem Lunarem inchoandi ratio.

Atqui ſi verum eſt, quod aſſeris, utroſque *ἐννόμως* celebraſſe, quia xv Luna; cum Lex non definiat quando inchoanda ſit Neomenia, an à *συνόδῳ*, an à *φάσει*, nulla hic ſubeſt imperitiæ conſcientia ob quam

quam aliquid diſſimulandum, aut fabulæ & næniis ac nugis eſſet involvendum. Quandoquidem, te fatente, antiquus fuit mos in Iſraele convivandi per biduum in Neomeniis, qui mos notus eſt ex Saulis hiſtoria, 1 Sam. xx, 24, 25, 26, 27. Ac Iudæorum commentatores ſuam de inſtauratione Paſchatis cõſuetudinem ex Scripturis ſaltem confirmare ſatagunt. Diſſimulatio omnis, uti ego conjicio, in eo eſt, quod odio veritatis Euangelicæ, quæ teſtatur Chriſtum Paſcha comediſſe die illa, ἐν ᾗ ἔδει Θύεσθαι τὸ πάσχα, in qua oportebat mactare Paſcha, Luc. xxii, 40, tenebris involvant conſuetudinis ſuæ antiquitatem.

Non lubet autem mihi pro ipſa illa conſuetudine ὑπερασπίζειν. Scopus diſputationis meæ hic eſt, Chriſtum ἐννόμως Paſcha celebraſſe die à Lege præſcripto: quo & ipſi Iudæi Agnum Paſchalem mactarint & comederint, ſed quem quaſi protraxerint in biduum per manducationem pacificorum, quæ חגיגה vocabant, quia cenſebant Paſchatis appellatione iſta cum Agno Paſchali comprehenſa in lege Deut. xvi, 2. In qua etiam nominis פסח applicatione ad utrumque צאן ובקר oves & boves apertus eſt Maimonides, וזו היא נקראת חגיגת י"ד ועל זה נאמר בתורה וזבחת פסח להשם אלהיך צאן ובקר. Atque hæc eſt quæ vocatur Chagiga diei xiv, & de hac dictum eſt in le-

ge, Et immolabis Paſcha nomini Dei tui oves & boves, Korban Peſach cap. x, §. 12. De bidui quoque manducatione mox aperte hæc ſubjungit, quæ non faciunt ad hodiernam, ſed ad veterum praxin, quando vigebant ſacrificia, חגיגת ארבעה עשר רשות ואינה חובה׃ ונאכלת לשני ימים ולילה אחד ככל זבחי שלמים. Chagiga diei XIV, permiſſionis eſt, non præcepti, & comeditur dies duos & noctem unam, ſicut omnia ſacrificia pacifica. Cap. x, §. 13, de reſiduo quoque una cum reſiduo Agni comburendo hæc habet §. 14, בשר חגיגה שעלה עם הפסח על השלחן וכל התבשילין העולים עמו על השלחן מתבערין עמו: Caro Chagigæ quæ apponitur in menſa cum Paſchate, & pulmenta omnia quæ cū ipſo apponuntur in menſa, una cum ipſo cōburuntur. Debuiſſent itaque v. g. in Paſchate *σταυρωσίμω* reſiduum utrumq; comburi manè diei XVI, ſed quia id incidebat in Sabbatum, dilatum id eſt in craſtinum diei XVII, juxta id quod ex codice Peſachin c. VII, §. 10, expreſſi pag. 18: quia, ut in illum locum notat Maimonides, præceptum de combuſtione reſidui eſt Affirmativum: præceptum vero de Sabbato Affirmativum & Negativum ſimul; quod à priori violari, aut priori cedere non debet, והעקר אצלינו אין עשה דוחה לא תעשה ועשה. His ita conſtitutis, cardo controverſiæ verſatur in loci Ioannis XIIX, 28.

XIIX, 28, ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, interpretatione, quam ſufficit dediſſe talem, qualem patiuntur Iudæorum traditiones de illius temporis praxi, utcunque ſuperſtitioſa & præter mentem Scripturæ introducta. Quapropter nihil mihi ultra demonſtrandum, quam carnem illam Chagiga, quæ una cum Agno in prima cœna appoſita ſervabatur quoque in ſequentem cœnam ac biduo comedebatur, Paſchatis quoque nomen obtinuiſſe ex Iudæorum interpretamento loci Deuter. XVI. Inde enim manifeſtum eſt, Iudæos exiſtimaſſe, ſe iſto quoque ſecundo die Paſcha comediſſe. Nihil autem nos cogit verba illa Ioannis aliter accipere, quam ex Iudæorum ſenſu, ſive illum tueri poſſint loco Deuteronomii & Paſchate Ioſię, ſive ſecus. Dum ſaltem hoc ſatagunt, ſtatuminant Paſchatis ſecundo die in cœna inſtaurandi antiquitatem: de ſacrificiis enim loquuntur, quæ ab everſo Templo recentiores Iudæi in hoc ſuo exilio non mactant nec comedunt. Tua vero omnis Diſputatio nititur hac hypotheſi, Verba illa Iohannis exigere interpretationem ejuſmodi, qua ex ipſius Euangeliſtæ ſenſu ἐννόμως Paſcha comedere, & à pollutione ſibi cavere debuerint: quod mihi videtur eſſe petere τὸ ἐν ἀρχῇ.

Et ut libere dicam quod ſentio, Paradoxon mihi eſt, quod tibi placet utram-

que rationem, qua Babylonii & Ægyptii à ſua, & qua Hieroſolymitani à ſua Neomenia celebrarint Paſcha, alter alterum anticipans integra die, utramque inquam fuiſſe κατὰ νόμον, ac neutram alieno tempore factam. Equidem ſi latitudinem iſtam admittant verba Legis, ut, quemadmodum tu vis, in ipſis adeo Hieroſolymis duobus continuis diebus Paſcha fuerit legitime celebratum, ab his primo, ab aliis ſecundo die; nulla potuit ſubeſſe cauſa, cur ſingulariter & ſtricte ἀπὸ τῆς συνόδου inchoandi rationem poſtulent verba Lucæ ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι. Legem enim attendit Euangeliſta, non humanam Aſtronomiæ peritiam, quæ ex Babylone aut Ægypto arceſſenda eſſet.

Paradoxa mihi quoque videtur iſthæc tua adſertio, Chriſtum reliquis quidem annis mortem ſuam antecedentibus Paſcha una cum Hieroſolymitanis Iudæis eademque cum illis die celebraſſe: ultimo vero mortis ſuæ anno diverſam rationem ſequutum eſſe, eorumque Paſcha uno anticipaſſe die. Facti inquis hujus manifeſta fuit cauſa, nempe ut τὸ τυπωθὲν typo ſuo accurate reſponderet, oportuit Chriſtum verum noſtrum Paſcha immolari pro nobis eo ipſo tempore quo Legalis Agnus mactandus erat: quod, inquis, & factum fuit, nam Chriſtus hora ſexta, hoc eſt, meridie cruci affixus fuit, de cruce autem depoſitus

hora

hora tertia pomeridiana, quo tempore mactari incipiebat agnus Paſchalis, בין הערבים. Id autem fieri, inquis, non potuit, niſi Chriſtus Paſcha ſuum pridie celebraſſet cum diſcipulis, quod & fieri oportuit, ut Sacramento illi legali ſufficeret aliud N. Teſtamēti Sacramentum, Sacram nempe Cœnam. Hinc tamen negas ſequi, Iudæos eo anno propter ſequens Sabbatum tranſtuliſſe atque procraſtinaſse ſuum Paſcha, aut alieno tempore celebraſſe, neque Paſcha iteraſſe.

Itane vero vis credam Iudæos non alieno tempore mactare incepiſse ſuum Paſcha, ſed κτ̃ νόμον, ſi id mactaverint poſt Chriſtum jam crucifixum & de cruce depoſitum, atque ſic accurate typo ſuo reſpondiſse τὸ τυπωθὲν. Certe Chriſto crucifixo, & cum de cruce deponeretur, ob corporis τῦ τυπωθέντος præſentiam ceſsabat omni jure typica Agni Θυσία, neque ſi pridie facta non eſſet tum fieri debuit. Quapropter ſic contra cenſeo, ut τὸ τυπωθὲν typo reſponderet accurate, neceſse fuiſse, ut & Iudæi & Chriſtus pridie crucifixionis ſuæ Agnum immolarent. Atque id ipſum quoque infert inſtitutio novi Sacramenti Cœnæ in locum veteris Sacramenti Paſchalis: illa enim locum nullum relinquit Paſchati Legali poſtridie immolando. Palam quoque id fecit Chriſtus in morte ſua, miraculo divino Templum

&

& Sacerdotium profanans ſciſſo velo templi. Cauſæ itaque hæ manifeſte contrarium ſuadent, ac mihi perſuadent, non admittere Legem divinam ejuſmodi latitudinem, (quæ mihi parũ aut nihil videtur abeſſe ab æquivocatione) ut ἔννομος fuerit utraque, & pridie crucifixionis, & poſt crucifixum jam & de cruce depoſitum Chriſtum, Agni Paſchalis mactatio.

Quod autem Aſtronomiæ imperitia à genuino computo aberrarint Hieroſolymitani, neque Babyloniorum & Ægyptiorum Iudæorum exemplo erudiri voluerint, nec in viam revocari, ut credam, non patitur Maimonides his verbis ſub initium Korban Peſach cap. 1, §. 2, ומי שבטל מצוה זו בזדון ועבר יום י"ד ולא הקריב והוא לא טמא ולא בדרך רחוקה הרי זה חייב כרת, Et qui violat hoc mandatum ſuperbe & tranſgreditur diem XIV, ut non offerat neque vel immundus eſt, neque in longinquo itinere, ecce ille tenetur excidio. Fuiſſet ſane hæc imperitia Hieroſolymitanorum Iudæorum cum ſuperbia manifeſte conjuncta, atque adeo in Babyloniorum & Ægyptiorum conſcientia excidio mortis digna, adeoque ipſis nefas fuiſſet cum illis συγκερηπίζειν. Quod obiter mones, falli Scaligerum loco à me pag. 5 adducto, cum ait biduum Paſcha celebrari מספק התחברות המאורים propter incertitudinem conjunctionis luminarium, cum Maimonides dicat id factum

ctum eſſe, quia neſciebat qua die Hieroſolymitani indixiſſent Neomeniam: id mihi, bona tua venia, videtur gratis dictum. Nam ſi inter conjunctionem luminariũ & τὴν φάσιν Lunæ ſtatum eſt intervallum, ut dies ſolidus interſit, neceſſario, qui neſcit φάσιν Lunæ, à qua pendet indictio, ut tu vis, Hieroſolymitanorum, idem neſcit cõjunctionem luminarium; & magis quidem, quia hæc abſtruſioris ſcientiæ eſt, quam φάσις, hæc ſiquidem illa & poſterior, & manifeſtior eſt.

Quomodo de cætero hic falli putem te & Scaligerum, quod putetis poſt inſtitutionem hodierni computi in iſthoc exilio, in quo nunc ſunt, everſo ſanctuario à Veſpaſiano, cœpiſſe bidui obſervationem, ſuprà oſtendi. Ac velim porro ipſe conſideres, quomodo ex tuis hypotheſibus, quando non tantum latitudinem bidui ponis in legis διανόιᾳ, ſed & maxime genuinum ac naturale menſis initium collocas in primo bidui die, contradicere mihi queas, & ut falſum rejicere, quod aſſero Paſcha eo anno κατὰ νόμον incidiſſe in Paraſceuen Sabbati. Deinde cur admiſſa illa latitudine, non æque liceat dicere, primam Azymorum qua Chriſtus crucifixus eſt, & Paſcha & Paſchatis paraſceuen fuiſſe, quam id ego dixi ex mea Hypotheſi.

Vrges contra Paſchatis inſtaurationem ſecunda die Azymorum factam, Licuiſſe

Licuiſſe unicuique poſt eſum Agni Paſchalis mane diei primæ Azymorum domum repetere, Deuter. XVI, 7. Sed reſpondeo, nihil te ultra efficere, quam ut ἐθελοθρησκεία cenſeri debeat bidui illa obſervatio, quam ex Deuter. XVI, & Paſchate Ioſiæ Iudæorum commentatores confirmare ſatagunt. Atque hoc eſt quod ipſe volui pag. 48, 49, Chriſtum, tametſi Paſchate ſuo primo die defunctum, accuſari non potuiſſe, neque vel ſpeciem mali ipſi tribui. Verum enimvero id velim diſcere, Si poſtridie Paſchatis, XVI Niſan, filiis Iſrael operandum fuit Legi de oblatione Omer ex meſſis primitiis, quomodo potuerint mane diei XV unuſquiſque domum repetere? Forte dici poterit illud הלכת לאהליך redibis ad tentoria tua, peculiare fuiſſe iſtius temporis ante Cleruchiam terræ Canaan, cum adhuc in tentoriis habitarent, neque lege de oblatione Omer tenerētur: quando vero illa viguit, quia illi operandum erat poſtridie Paſchatis, ceſſaſſe illam dimiſſionem, ac introductam fuiſſe neceſſitatem Hieroſolymis ſubſiſtendi uſque ad matutinum tempus ſecundæ diei Azymorum, donec oblatione Omer defuncti eſſent.

Sed ut nihil diſſimulem, ego περιεργίαν Iudaicam præter Legis διάνοιαν introductam cauſam eſſe cenſeo, cur exiſtiment Talmudici Doctores procraſtinandam

fuiſſe

fuiſſe oblationem Omer, ſcilicet quia putant, ut Legi ſatisfieret, inſtituendam fuiſſe nocte XVI Niſan ſolemnem aliquam meſſis Omer cæremoniam per emiſſarios domus judicii, adſiſtente turba in agro huic fini conſecrato, in quem ante falx miſſa non eſſet, ut vere eſsent meſſis primitiæ: πρόφασις eſt in verbis ממחרת השבת Levit. XXIII, 15, in craſtino Sabbati ſeu ceſsationis, quæ fuit XV Niſan, ergo XVI Niſan. Ego autem exiſtimo ſimplicitati Scripturarum magis conſentaneum eſſe, ſi oblatio Omer facta dicatur ex manipulis illis quos filii Iſrael quiſque domo attuliſsent ex meſſe ſua Hieroſolymam ad Sacerdotem, qui ex illis manipulum agitaret mane XV Niſan, non ſecunda, ſed prima Azymorum, quæ eodem ſenſu vocetur hic ממחרת השבת, quo Num. XXXIII, 3, vocatur ממחרת הפסח Craſtinum Paſchatis: neque id alienum, quia revera omnis dies judaicus ſuæ veſperæ & nocti craſtinus eſt.

Venio jam oportune ad interpretationem locorum Matt. XXVI, 17. Marc. XIV, 12. & Luc. XXII, 7. Exiſtimas tu, velim nolim, neceſse eſse, ut, quia apud Matthæum & Marcum XIV Niſan dicitur ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν ἀζύμων, latitudinem illam admittam, qua in biduo utraque dies ſeorſim prima Azymorum dici poſſit, & qua Chriſtus, & qua Iudæi Paſcha

ſcha mactarunt, hic priori illi, ut tu vis, altera bidui die. Si ultra nihil poſtulares quam ut τὴν πρώτην acciperem pro pridie, non repugnarem. Exiſtimo enim opportunum commentarium eſse, ut, quod in appellatione τῆς πρώτης apud Euangeliſtas δυσνόητον eſt, explanetur, expoſitionem Aben Eſræ & Salomonis Iarchi in loca Exod. XII, 15, & Deut. XVI, 4. In poſteriorem hunc locum ſic Aben Eſra: ביום הראשון לבוקר: ויום ראשון האמור כאן הוא ארבעה עשר בניסן כמה דאתאמר אך ביום הראשון תשביתו שאור מבתיכם, In die primo uſque ad mane:] Dies qui hic dicitur primus, eſt XIV Niſan, ſicut id quod dicitur (Exod. XII, 15.) ceſsare facietis ipſo die primo fermentum ex domibus veſtris. Hæc confirmat & illuſtrat Sal. Iarchi ad locum Exodi his verbis: אך ביום הראשון וגו׳ מערב יום טוב וקרוי ראשון שהוא לפני השבע ומצינו מוקדם קרוי ראשון הראשון אדם תולד הלפני אדם נולדת, Ipſo die primo, &c.] A veſpera diei feſti, & vocatur primus (Azymorum) quia ante ſeptem (dies Azymos) eſt: & invenimus vocari primum qui prior ſit (Iob. XV, 7.) An primus Adam natus es? hoc eſt, An natus es ante Adamum? Bene ergo ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων accipitur pro pridie Azymorum. Et conſentit Maimonides, qui Tractatu חמץ ומצה cap. II, §. I, citans locum Exodi hæc ſubjungit: ומפי השמועה למדו שהראשון זה הוא יום ארבעה

עשר

עשר, Et ex auditu didicimus hunc diem primum eſſe XIV, (Niſan.) Pene oblitus eram, non eſſe alienum à ſermone Euangeliſtarum id quod Sal. Iarchi ait, מצינו מוקדם קרוי ראשון; legimus enim Ioh. I, 30, *πρῶτός μου*, primus (id eſt prior) me.

Quomodo autem abſque illa, quam tu urges, bidui latitudine, Paraſceue Paſchatis cooptari poſſit in numerum ſeptem dierum azymorum, ut non eliminetur dies XXI, videtur expediri poſſe quam commodiſſime ex iis quæ docet Maimonides Tractatu jam laudato, cap. I, §. 8, & 10, Statim in meridie poſt horam VI fas fuiſſe mactare Paſcha, atque hac de cauſa nefas fuiſſe comedere fermentum. משעה שראויה לשחיטת הפסח שהוא בין הערבים והוא חצי היום, Ab hora quæ conveniens eſt mactationi Paſchatis, id vero eſt inter duas veſperas, atque hoc eſt diei dimidium (à meridie.) Sed inſuper ad abundantiorem cautelam vetitum quoque fuiſſe comedere id ultra finem horæ quartæ matutinæ: הא למרת שמותר לאכול חמץ ביום י״ד עד שעה רביעית, Ecce, inquit, didiciſti quod licitum eſt comedere fermentum XIV die uſque ad finem horæ IV. In initio ergo horæ V Matutinæ, XIV Niſan ſtatuo שביתת שאור ceſſationem fermenti, quam Deus præcepit Exod. c. XII, ℣. 15, verbis illis: תשביתו שאור מבתיכם. Atque hinc cenſeo

ſeo denominari & inchoari Sabbatum illud de quo ibi ſermo eſt, ac finiri diei xv hora IV matutina completa. Adeo ut non ſignificetur ulla religio quæ diem faciat Sabbato feriæ ſeptimæ ἰσότιμον; & non uni feriæ in ſolidum, ſed duabus incompletis nomen illud tribuendum ſit, ſi neceſſe eſt in ſpacium 24 horarum illud porrigere. Ac reliquorum dierum Azymorum computum ſic porro finiri cenſeo in diei Niſan XXI hora IV matutina completa, atque ibi eſſe τῶν ἀζύμων ἐξόδιον & Feſti finem, juxta ſequens ſchema.

Dies Azymi.	Dies Niſan ab ineunte veſpera, ad finitam IV horam matutinam.
1	14 15
2	15 16
3	16 17
4	17 18
5	18 19
6	19 20
7	20 21

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Si in hoc ſchemate ſpectes dies ſolidos ex horis 24 completos; habes ſex: quod videtur ſpectari Deut. XVI, 8. Si numeres quod ſpacia 24 horarum, habes ſeptem, ibidem verſu 4, & alibi. Si lucem Solis in diebus incompletis XIV & XXI attendas; licebit cum Ioſepho putare dies octo, Antiq. II, cap. 5. Liquet ſaltem

Digitized by Google

tem quomodo in VII dierum computo pro uno die putetur Paſcha cum ſua Paraſceue, non habita Solis vel occaſi vel orti ratione, ſed Ceſſationis fermenti, unde Azymorum initium eſt.

Lubet attexere computum Pentecoſtes, qui ἀναλόγως ita inſtituendus eſt, ut ejus πλήρωμα ſit in VI Sivan hora IV matutina completa, juxta ſequẽs ſchema.

Dies Niſan.	XV.	1.	0	XVI.	1.	1
	XXII.	1.	7	XXIII.	1.	8
	XXIX.	1.	14	XXX.	1.	15
Ijar.	VI.	1.	21	VII.	1.	22
	XIII.	1.	28	XIV.	1.	29
	XX.	1.	35	XXI.	1.	36
	XXVII.	1.	42	XXIIX.	1.	43
Sivan.	V.	1.	49	VI.	1.	50

Confirmandũm autem eſt, quod contra Canones hodierni computi colloco, legitime XV Niſan in feria 6, & Pentecoſtes עצרת in Sabbato. Canon prior eſt לעולם לא בדו׳ פסח, Numquam Paſcha eſt Feria 2, 4, 6. Alter eſt לעולם לא גה״ז עצרת, Numquam Pentecoſte eſt Feria 3, 5, 7. His Canonibus fretus Scaliger falſum eſſe pronunciat quod olim contra priorem affirmavit Theophylactus, πολλάκις ἀπήντα ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ. Enimvero ſi id falſum eſt; fallitur quoque & fallit Aben Eſra in Levit. XXIII, 4, cum inquit: כי במשנה גם תלמוד ראיות שהיה פסח בבד״ו. Nam è Miſna & Talmude

oſtendi

oſtendi poteſt fuiſſe Paſcha in Badu, hoc eſt, in Feriis 2, 4, 6. Iterum negat Scaliger potuiſſe Pentecoſten in Sabbatum incidere, atque vult illam poſt Paſcha σταυρώσιμον incidiſſe in diem Dominicū, idque credidiſſe totam olim antiquam Chriſtianitatem. Quidquid ſit de Chriſtiana antiquitate, ubi illa fixerit ſuam Pentecoſten; id computo Pentecoſtes Iudaicæ, de quo quæritur, non præſcribit, ut mox dicemus. Apud Iudæos nuperi commenti id eſſe, quod rejiciatur Pentecoſte poſt Sabbatum in feriam primam, manifeſtum inde eſt, quod in Miſna Maſſechet Chagiga cap. 11, §. 4, illud ſtatuatur in confeſſo, Pentecoſten quandoque incidere in Sabbatum מודים שאם חל להיות בשבת וגו', confitentes quod ſi incidat (Pentecoſte) in Sabbatum: Et quod pro hæretica Sadducæorum, qui ibi בותוסים vocantur, opinione illa rejiciatur, qua Pentecoſte rejicitur in feriam poſt Sabbatum: שלא לקיים דברי האומרין עצרת אחר השבת, Quia non eſt ſtabilienda illorum ſententia, qui dicunt Pentecoſten eſſe poſt Feriam Sabbati. Ad hæc verba notat Barthenora שהיו צדוקים qui fuerunt Sadducæi, de quibus ibidem Maimonides, מאמינין כי עצרת לא תחול לעולם אלא אהר שבת, credunt Pentecoſten nunquam incidiſſe niſi poſt Feriam Sabbati.

Vt jam in Hypotheſi dicam de Pentecoſte

tecoſte in qua miſſus eſt Spiritus Sanctus; offert ſe ex jam dictis genuina, ut arbitror, non ita hactenus animadverſa, interpretatio verborum Lucæ Act. II, 1, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. Revera enim complebatur dies quinquageſimus computi, quem exhibuimus, hora IV matutina, cum hora III prodiiſſent Apoſtoli Spiritu S. pleni. Iam ſi Chriſtiana antiquitas poſt completam Iudaïcam Pentecoſten diem ſolennem ſibi figere voluit, debuit is putari à feria Sabbati in feriam primam, donec completa eſſet craſtina hora IV matutina, ex quo Spiritu S. pleni Apoſtoli concionari cœperant. Atque ſic poſt Pentecoſtes Iudaïcæ ἐξόδιον cœpit Feſtum, ſi ita libet vocare, miſſionis Spiritus S. die Sabbati, ac ſuum ἐξόδιον habuit horis antemeridianis diei Dominicæ. Atque, ut ego conjicio, ſic oportune in hujus diei recordationem porro factum eſt, ut feria utraque incompleta Chriſtianorum cœtibus ſolennis eſſet, tantiſper donec abſque ſcandalo infirmorum poſſent Chriſtiani Sabbato Iudaïco valedicere, quod videtur ſuadere hiſtoria Apoſtolica. Quidquid ſit, nullius ponderis eſt id quod urget Hoſpinianus de origine Feſtorum cap. 5, Si Pentecoſtes Feſtum Iudaïcum in Sabbatum tunc incidit, propterea à nobis quoque hodie celebrandum eodem die. Omnis enim inter Chriſtianos Feſtorum ſolennitas eſt

F inſtituti

inſtituti Eccleſiaſtici tantum, non divini juris, Coloſ. 11, 16. Sed neque Sabbati Iudaïci migrationi in diem Dominicum quidquam præjudicat, quod die Sabbati effuſus ſit Spiritus S. Potius fuit in ipſa Sabbati feria occaſionem fœnerari converſionis multorum, quam procraſtinare: neque conveniens erat, præcipitanter Sabbato & Feſtis divinitus olim inſtitutis reverentiam abrogare. Sed hæc ſunt alterius diſquiſitionis, quam non eſt animus hic perſequi.

Non poſſum quin hic perſequar ultra, quod contra tranſlationes feriarum, quas tantopere urget Scaliger, dicendum habeo: quia video immerito ipſi vapulare Toletum, ut mox planum fiet: & imponit hic atque offucias facit toti pene orbi Chriſtiano auctoritas Scaligeri. De Paſchali canone Badu, & de canone Pentecoſtes Gahaz diximus: dicemus tertio loco de canone Neomeniæ Tiſri, is eſt לעולם לא ארו ראש השנה, Nunquam initium anni feria 1, 4, 6 Adu. Illuſtrat hunc canonem Hoſpinianus his verbis: Si Neomenia anni feria prima hebdomadæ, hoc eſt, die Dominica obſervaretur Feſtum ramorum ſive palmarum, neceſſario in Sabbato accideret, in Sabbato autem non licere ſibi exiſtimabant faſciculum portare; multoque minus genio indulgere & voluptatibus, quibus in Feſto ramorum inveterata jam conſuetudine

dine frui ſolebant. Contra militat aperte textus Miſnæ in Codice Succa, c. IV, §.3. יום שביעי של ערבה שחל להיות בשבת, Septimus ſalicum (id eſt dies palmarum 21 Tiſri) incidens in Sabbatum. Et de faſciculo portando ibidem, §. 7, definitur כמעשהו בחול כך מעשהו בשבת אלא שהיו מלקטין אותן מערב שבת ומניחין אותן בגיגיות של זהב כדי שלא יכמושו, Sicut opus ipſius eſt die profeſto, ſic opus ejus eſt Sabbato, niſi quod illos (ramos) colligunt in Paraſceue Sabbati, & deponunt in vaſis aureis (מלאים מים, aqua plenis, ut annotat Barthenora) ne marceſcant. Habet eadem Maimonides Succot c.VII, §.21, Tractatu לולב: הל יום שביעי להיות בשבת ווקפין אותה בשבת, Si dies ſeptimus incidat in Sabbatum, portant (faſciculum ramorum) illum in Sabbato &c. ibidem, §.16, in margine, ולמחר היתה נטילתו דוחה שבת, Et die craſtino portatio ejus pellebat Sabbatum.

Altera ratio apud Hoſpinianum ſecum trahit canonem de Feſto Expiationis, לעולם לא אגו" יום הכפורים: Nunquam dies Expiationis Agu h. e. feria 1, 3,6. Si Neomenia illa (Tiſri) feria 4, aut 6, obſervaretur, caderet, inquit Hoſpinianus, Feſtum propitiationis in feriam ſextam, aut Dominicum diem, & tunc cogerentur duo celebrare Feſta, Sabbatum hebdomadarium, & Feſtivitatem Propitiationis, quod incommodiſ-

 ſimum

ſimum eſſet, propter mortuos ſepeliendos, & conſervationem coctorum ciborum, &c. Contra militat, quod in Miſna in Codice Sabb. cap. xv, §. 3, Gloſſa כף נחת edit. Venetæ pag. 63, annotat ad hæc verba ר׳ ישמעאל אומר מקפלין את הכלין ומציעין את המטות מי״ה לשבת וחלבי שבת קריבין בי״ה, Rabbi Iſmael auctor eſt, veſtes componi & lectos ſterni à die Expiationis in Sabbatum, & adipes Sabbati offeruntur die Expiationis. Gloſſa ait, כשחל י״ה בע״ש, quando dies Expiationis in Paraſceuen Sabbati incidit.

Quinto loco eſt Canoni huic obviam eundum de Feſto Purim לעולם לא זב״ד פורים, Nunquam Feſtum Purim feria 7, 2, 4. Contra docetur in Miſna, in Codice Mægilla, cap. 1, §. 2, Feſtum Purim rite agi omnibus feriis: occurrit enim חל להיות בשבת, Incidit in Sabbatum: חל להיות בשני, Incidit in feriam ſecundam חל להיות בשלישי או ברביעי, Incidit in feriam tertiam aut quartam.

Vt redeam unde digreſſus ſum, vapulat Scaligero Toletus in Prolegomenis de Emend. Temporum, paginis mihi 25, 26, 27, 28, quia contendit ſuo in Iohannem XIII commentario, libri Iudaïci auctoritate incidiſſe quandoque Sabbatum in XVI Niſan, ac tum licuiſſe in Sabbato facere opus meſſis Omer. Audiamus utrumque: primo Toletum. Falſa, inquit Toletus, eſt recentiorum Iudæorum

dæorum traditio, & hujus ſententiæ fundamentum. & mox: Conſtat aperte ante nonnullos annos talem tranſlationem inter ipſos non fuiſſe, ſed ſimul celebratum Paſcha feria 6, & poſtea Sabbatum, & manipulum meſſuiſſe veſpere ferię ſextæ, etiam Sabbato incipiente. Rabbi Iſaac Arama auctor libri Achidat Iſaak, id eſt ligationis Iſaac, vir maximæ apud Hebræos auctoritatis, ſuper illud Lev. XXIII, Cum veneritis in terram quam ego do vobis, & meſſueritis, &c. habet hæc verba: Impoſſibile eſt colligere & demetere manipulum niſi nocte XVI Lunæ; ſicut ſcriptum eſt in libro Menachot, id eſt oblationum farinacearum, in hanc ſententiam: Quomodo igitur fit? (adſcribam tantum quæ controverſa ſunt) Poſtquam tenebræ factæ ſunt, metens dicit adſtantibus, occubuit Sol? idque tribus vicibus; quibus reſpondentibus, Occubuit; iterum per tres vices interrogat, An illa falx & area ſit in hunc uſum deſtinata? reſpondentque rem ita ſe habere.

Quod ſi fuerit Sabbatum, interrogat eos, Eſtne Sabbatum? Eſt, inquiunt. Metamne? inquit ille, Mete reſpondent: & omnia hæc tribus interrogationibus abſolvuntur. Hæc iſte. Eſt autem liber Menachot pars Talmud, multis annis poſt Chriſtum compoſita. Vbi vides, Iudæos ante aliquot annos talem non habuiſſe tranſlationem, ſed celebraſſe Sabbatum

 imme-

immediate poſt primam diem Azymorum, in cujus veſpere metebatur manipulus.

Hæc Toletus. Quid ad hæc Scaliger? Adſcribam verba quæ huc faciunt. Doctori Theologo non bene procedit commentum. Vrgetur abſurditate: Deus die magno Azymorum diſtricte vetat opus facere Exod. XII, 16. Levit. XXIII, 7. Hinc quoque aliquo inſigni facinore elabendum erat. Adducit locum ex libro Iudaïco, cui titulus עקידת יצחק, id eſt, ligatio Iſaaci, ut probetur etiam Sabbato licuiſſe opus facere, in quo is qui locum vertit impoſuit homini quæſtionum quam Hebraiſmi peritiori. Nam qui interrogat, an Sol occaſus ſit, item an ſit Sabbatum, eandem rem duabus interrogationibus ſignificat. Si enim Sol nondum occidit, eſt Sabbatum, in quo non auderet mittere falcem in meſſem. Oportet igitur ut Sol occiderit prius, & conſequenter non erit amplius Sabbatum, id eſt, præterierit XV Niſan, quæ quacunque feria inciderit, dicitur Sabbatum Levit. XXIII, 15. Igitur interroganti, An Sol occidit, reſpondetur occidiſſe: rurſus an ſit Sabbatum, id eſt, an ἡ ἑορτὴ τ̃ ἀζύμων nondum præterierit, ſi reſpondetur adhuc eſſe, nihil agitur: ſi reſpondetur non eſſe Sabbatum, tunc confidenter immittit falcem in meſſem. Hæc profecto eſt mens illius loci, quanquam

quam libri copia non eſt. Sed qui vertit illi hæc verba dicit reſponderi eſſe Sabbatum: ergo hoc modo oportebat omnem XVI Niſan eſſe Sabbatum omni anno. Quod quis non miretur à Doctore Theologo non animadverſum? Atque adeo illi commentum placet, &c. Hactenus Scaliger.

Non opus eſt adhæc aliis pro Toleto vindiciis, quam verbis Hebraïcis, quæ (poſtquam paucis abhinc diebus mihi facta eſt libri copia) operæ precium erit adſcribere: ut videas non bene proceſſiſſe Scaligero divinationem de mente loci. Sic ergo auctor ad Paraſcham אמור c.4, pagina libri 223 verſa. שהרי העומר א״א ללקיטתו ולקצירתו כי אם בליל י׳ו לניסן כדאיתאמר במנחות כיצד הן עושין וגו׳ כיון שחשכה אומר הקוצר לכל העומדים שם בא השמש אומרין לו הן בא השמש אומרין לו הן בא השמש אומרין לו הן מגל זה אומרין לו הן מגל זה אומרין לו הן מגל זה אומרין לו הן קופה זו אומרין לו הן קופה זו אומרין לו הן קופה זו אומרין לו הן ׃ ואם היתה שבת אומר להם שבת זה אומרים לו הן אקצור והם אומרין קצור שלשה פעמים על כל דבר ודבר: Ex codice Menachot, quem laudat hæc hauſta ſunt cap. X, §. 1, 2, 3, & inde hic ſimiliter expreſſa, ut apud Maimonidem Tamidin cap. VII, niſi quod verba illa quæ hic auctor & Maimonides habent ואם היתה שבת, in Menachot conciſa ſunt בשבת: in inter-

 rogatione

rogatione שבת וה variat Maimonides, habetque שבת היום. Plana ſunt omnia contra Scaligerum: de quo ne dubitandi locus ſit, facit commentarius Iudaïcus Barthenora in Menachot, ר' ישמעאל אומר העומר היה בא בשבת כשחל להיות בשבת העומר דוחה את השבת: Rabbi Iſmael, inquit, Omer adducitur Sabbato, quando incidit in Sabbatum, Omer pellit Sabbatum. שכל קרבן שזמנו קבוע דוחה את השבת: quia omnis oblatio cujus tempus fixum eſt pellit Sabbatum. Maimonides ibidem ſimiliter, קצירת העומר אינה אלא לליל ששה עשר בניסן כמו שיתבאר ולפעמים יהיה יום שבת. וכבר זכרתי לך שכל חובות שקבוע להן זמן דוחים את השבת וגו' Meſſis Omer non fit niſi nocte XVI Niſan, ſicut declaratum eſt: & quandoque eſt dies Sabbati: & jam ante mentionem feci tibi quod omnia quæ neceſſarii præcepti ſunt, & quibus eſt præfixum tempus pellunt Sabbatum, &c. Idem in Tractatu Tamidin cap. VII, §. 4, וזמנו קבוע ולפיכך דוחה את השבת, Et tempus ejus fixum eſt; ideoque pellit Sabbatum: Et mox: והסנהדרים בכל דור ודור שהיו מניפין את העומר בששה עשר בניסן בין בחול בין בשבת וגו' Sanhedrim ab omni ævo quando agitabant Omer (id fecerunt) XVI Niſan, ſive eſſet dies profeſtus, ſive Sabbatum, &c. Iterum mox, ואין משגיחין על אי זה יום הוא מימי שבוע, Et non conſiderabant in quem diem id incideret ex feriis ſeptimanæ. Prolixior

Prolixior hic fui, ut porro libera ſit diſputatio à præjudicio auctoritatis Scaligeri, & qui illum ſequuntur, de Canonum iſtorum Adu & Badu & reliquorum antiquitate, quæ ſi attingeret tempora Chriſti, non contra militaret Miſna, ut bene obſervat Toletus, multis annis poſt Chriſtum compoſita. Ego ſuperſtitionem cenſeo vel nuper cum computo hodierno natum, בזמן הזה שהכל עושין על החשבון, Tempore hoc quo omnia faciunt juxta computum; vel ſaltem tempora Chriſti propius non attingere quam משחרב בית המקדש, Ex quo everſum eſt ſanctuarium: quas duas Periodos obſervo apud Maimonidem in Succa cap. VII, tractatu לולב aſſignari innovationibus circa Feſtorum ſolennitates, ubi receſſum eſt à praxi veteri, quę vigebat, ut idem loquitur, בזמן שבית המקדש קיים, In illo tempore cum ſtaret Sanctuarium. Ad hujus temporis hiſtoriam cenſeo referenda quæ in Miſna militant contra hodiernos canones.

Accedo ad prioris Ciatribæ vindicias: Boni ominis eſt, quod locum Ioh. XIII, 1, quam primum in acie collocarat Caſaubonus, miſſum facis, quod eo fatearis non valde urgeri ſententiam meam.

Quæ ad locum Ioh. XIIX, 28, diſputas, maximam partem me diluiſſe exiſtimo in ſecundæ meæ hypotheſios vindicatione, quando carnes Chagiga Paſchatis ap-

tis appellatione comprehendere vel ipſum Maimonidem oſtendi. Reſtat maxime quod de vitanda immunditia tractas occaſione illius interpretationis, quam obiter dedi verſu 31 verborum *ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα*, quæ ego cenſui ſimpliciſſime intelligi poſſe quoque de vitanda pollutione; ut nihil præſcribant de poteſtate judiciorum capitalium; fuerit tum Iudæis plane ablata, ut vulgo, an ſecus, ut Muſculo placet, qui exiſtimat tantum ipſis ablatam fuiſſe crucifigendi poteſtatem. Reſpondes, te non accedere interpretationi Muſculi, quia debuerint dixiſſe, non *ἀποκτεῖναι τινὰ*, ſed *σταυρῶσαι τινὰ*. Atqui ſi ita dixiſſent, ſupervacaneum fuiſſet à Iohanne aperiri ipſorum *διάνοιαν* de *ποίῳ θανάτῳ*. Hactenus ergo mihi placet, quod ex hypotheſi (ſi negarint omnem interficiendi poteſtatem) Muſculus ait eos verum non dixiſſe: & fateor me aſſequi non poſſe quomodo, ut tu vis, ablato Iudæis omni jure vitæ & necis, ipſi certi eſſe potuerint, ſi Pilatus de Chriſto ſupplicium ſumeret, eum eſſe cruci affigendum: neque enim ut in Iudæorum accuſantium, ita in Pilati condemnantis exiſtimatione adeo vile caput Chriſtus eſſe potuit, ut tu cenſes; quippe qui & reluctante & territa divinitus conſcientia, à Iudæorum furore ægre victus, ne condemnare quidem Chriſtum voluit illotis manibus: quas

quas ſane lavare curæ non fuiſſet, atque Iudæis adeo ſolenniter ægre facere in vilis capitis gratiam. Obiter lubet indicare pro Muſculo facere quoque Bertramum Politiæ Iudaïcæ cap. 13, pag. *90, 91, 92*. Verba ejus, quæ locum hunc tangunt, hæc ſunt: Quod vero illi excipiunt, ſibi non licere interficere quemquam, ita exponi poteſt, quaſi Iudæi mendaces de ſuo jure decedere velint, ut locum aliquem relinquerent Prophetiæ Chriſti, quam ille ſæpius iteraverat de ſuæ mortis genere, quod etiam ipſe Euangeliſta innuit: ita ut etiam illi lapidationem, qua vulgo utebantur in ſuis judiciis, interfectionem eſſe negent. Ex his ergo confici videtur, ſaltem lapidationis ſupplicium permiſſum fuiſſe. Hæc Bertramus. Non ſumo mihi arbitrium inter te & Bertramum ac Muſculum, quoad hiſtoriam Iudaïcam: hoc tantum interfari lubet; Si etiam lapidationis ſupplicium ſub Pilato Iudæis ablatum fuiſſet, mihi quidem videtur nunquam loquuturum fuiſſe Chriſtum, quomodo ad Iudæos loquitur Ioh. IIX, 7, poſtquam illi ex Lege ſibi aſſeruiſſent jus lapidationis verſ. 5, Qui veſtrûm immunis eſt à peccato, primus in eam jaciat lapidem.

Meæ interpretationi, qua illud *οὐκ ἔξεστιν* accipio de diei religione, qua pollutio vitanda erat, atque huc accommodo

 locum

locum Maimonidis à Caſaubono laudatum. Opponis accuratiorem verborum Maimonidis enucleationem, qua Caſauboni interpretationem caſtigas, ita ut non ſit locutus Maimonides de eo quod in Paraſceue nefas ſit ob diei religionem, ſed de eo quod cavere voluerint ne non ſupereſſet ſatis temporis, poſt rei condemnationem, ad ſumendum de eo juſtum eadem die ſupplicium, cogerenturque propter ſequentis Sabbati vel Feſti religionem ſupplicium diutius in tertium uſque diem differre. Atque hinc ais liquere, Iudæis licuiſſe ea die, qua id loquuti ſunt, vacare judiciis capitalibus matutino tempore. De Maimonide illuſtrato fateor me tibi Minerval debere: ac lubens illud שמא יתחייב diſco accipiendum de iſtiuſmodi qualem exponis cautela. Sed nondum liquet, cur negetur tam abundanti cautela Iudæos uti voluiſſe, ut totum diem abſtinerent à judiciis capitalibus. Et quis cogat ערב שבת & ערב יום טוב præciſe accipere de horis veſpertinis excluſo antemeridiano tempore? Quidquid ſit, pendet controverſia hæc minus principalis à principaliori illa: An dies, quo Iudæi iſta loquuti ſunt, fuerit Iudæis primus Paſchatis, in cujus nocte Agnum comederant, & ſimul Paraſceue Paſchatis die ſecunda Sabbato inſtaurandi; an ſecus. Si tecum crederem, Scripturam hic tacere, & ambulare in iſta,

quam

quam tu urges, bidui latitudine, facile tam æquus eſſem, ut exiſtimarem hypocritas iſtos & dealbatos parietes non proculcaſſe ita Feſti religionem, nec ſuam conſtitutionem violaſſe, quàm ſequi videtur ex mea Hypotheſi. Sed ſubnixus meæ hypotheſios utriuſque certitudine non video cur me pœniteat poſt eundem Caſaubonum dixiſſe pag. 12, & 13, Exemplum in Domino noſtro editum extra ordinem, propter furorem procerum Iudæorum, non debere exiſtimari jus ordinarium, ſeu non eſſe rei licitæ aut juris conſtituti argumentum, ſceleſtiſſimorum Propheticidarum factum, ſed tantum furoris illorum inauditi & contemtus Dei atque omnium rerum ſacrarum. Quod tamen nunquam dictum volui, quaſi nulla hypocriſi ſe velare conati ſint: illam enim hypocriſin, ſed nimis palpabilem, urgeo hac ipſa verborum οὐκ ἔξεστιν interpretatione, nempe quod Pilato Chriſtum damnandum obtrudentes ipſo Paſchatis die primo, tamen exteriorem Legis corticem videri vellent ſervare: quia ſcilicet ipſi ſic judicio illo non occuparentur, ſed הגוים ſeu Gentiles.

Lubet hic quoque indicare quod nuperrime obſervavi, non eſſe novum meum illud εὕρημα. Idem ſenſit ante me Anglus Theologus Thomas Goodwinus libro Anglico, cui titulum fecit Moſes & Aaron: poſt laudatum enim locum hunc

Maimonidis hæc habet: Hinc eſt quod Ieſum à ſe amandarunt ad Romanorum procuratorem Pilatum: ſecundo, quod abſtinuerunt prætorio publico: tertio, ob hanc rationem dixerunt, Non licet nobis quenquam occidere, Ioh. XVIII, 31. q. id eſt hoc aut ſimili die. Atque hic Latinis verbis ad marginem adſcribit q. Auguſt. tractatu 114 in Ioann. ita hunc locum etiam exponunt Cyrill. lib. 12 in Ioannem, cap. 5. Chryſ. homil. 82 in Ioan. Beda in cap. 1 Ioan. Hæc Goodwinus.

Locus tertius Ioh. XIX, 14, ſatis vindicatus à me eſt, vindicata, uti confido, hypotheſi mea de Paſchatis repetitione: & jam oſtenſum, tam ex tua quam ex mea hypotheſi, conſequens eſſe, ut dies crucifixionis Chriſti dicatur & Paſcha & Paſchatis Paraſceue.

IV. Locum Ioh. XIII, 29, quia in medio relinquis, non neceſſe eſt ultra excutere.

V. Locus Ioh. XIX, 31, ubi Sabbatum vocatur μεγάλη ἡμέρα, à me poſt Baronium expoſitus eſt in illam ſententiam, ut illi Sabbato præter Sabbati religionem acceſſerit religio illa inſtauratæ cœnæ Paſchalis ſecunda die Azymorum: à qua Paſchatis inſtauratione indicavi ex Iudæorum Ritualibus quoque majorem haberi ſecundæ quam primæ diei Azymorum ſanctitatem: ſiquidem ſecunda Azymorum incidat in Sabbatum. Extra hunc

hunc caſum nihil contra me facit, quidquid producis ex Maimonide de minori ſanctitate ſecundę diei quam primæ Azymorum. Quomodo ſe cum Maimonide concilient hodierni Iudæi in eo quod adſerunt Ritualis Hebræo-Germanici à me laudati pag. 23 verſa, minus ſanctum eſſe diem illum, quam ר"ח & חול המועד ipſi viderint.

Vnum illud me ſtringere videtur, & ex adverſo oppoſitum eſſe conſuetudinis illius, quam ego urgeo, antiquitati, quod producis ex Maimonide Tract. שביתת יום טוב c. 6. §. 1, ubi ait, die feſto שחל להיות ערב שבת qui incidit in veſperam, hoc eſt, pridie Sabbati non licere coquere aut elixare quod edendum, למחר בשבת poſtridie ipſa Sabbati die, eſtque, inquit, illa prohibitio conſtituta à Scribis מדברי סופרים. At nondum perſuades iſthæc magis ex adverſo oppoſita eſſe, quam illa *ἐναυτοφανῆ*, quæ ipſe indicavi in Ritualibus, non quidem niſi per palpabilem hypocriſin, attamen Iudaïcæ conciliari pag. 6, 7, 8. Provoco ad ipſum illum Maimonidis, quem laudas, locum, ejuſdem capitis eodem tmemate. Neq; enim ille finem loquendi facit, ubi tu finem allegandi. Poſtrema tmematis verba hæc ſunt: לפיכך אם עשה תבשיל מערב יום טוב שיהיה סומך עליו ומבשל ואופה ביום טוב לשבת הרי זה מותר ותבשיל שסומך עליו הוא נקרא עירובי תבשילין: Diſpenſatio manifeſta

feſta eſt ab illa quam præmiſerat Scribarum conſtitutione, qua per aliam περιεργίαν, quam vocant עירובי חבשילין, licitum ſit die illo Feſti coquere & elixare quod poſtridie in Sabbato comedendum. Aperta eſt hic vetus Chaldaïca formula, qua illis עירובי תבשילין ſolenniter benedicunt in hunc uſum in Paſchatis paraſceue, quam integram lubet adſcribere ex Rituali Hebræo-Germanico ſæpius laudato, pag. 20 verſo. ברוך אתה יי אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על מצות עירוב בדין יהא שרי לנא לאפויי ולבשולי ולאטמוני ולאצלויי ולארלוקי שרגא ולמיעבד כל צרכנא מיומא טבא לשבתא לנא ולכל ישראל הדרים בעיר הזאת: , Benedictus tu A. Deus noſter, Rex mundi, qui ſanctificavit nos in præceptis ſuis & mandavit nobis mandatum עירוב. In hoc eſto licitum nobis elixare, & coquere & recondere, & aſſare, & accendere candelas & facere omnem neceſſariam operam noſtram die feſtivo in Sabbatum, nobis & omnibus Iſraelitis commorantibus in hac civitate. Vide Maſſechet יום טוב alias ביצה c. 2, §. 1, unde hauſit Maimonides quæ ſupra: ועשה תבשיל מערב יום טוב וסומך עליו לשבת Et faciet pulmentum in paraſceue Feſti, & illo nitetur ad Sabbatum: Gloſſa כף נחת explicat לבשל בי"ט לצורך שבת Ad coquendum die Feſto ad neceſſitatem Sabbati. Præceſſerant hæc in ſpeciem contraria יום טוב שחל להיות ערב שבת

לא

לא יבשל אדם בתחלה מיום טוב לשבת אבל מבשל הוא לי"ט ואם הותיר הותיר לשבת Feſto die incidente in paraſceuen Sabbati, non coquet homo in principio à die Feſto in Sabbatum: ſed coquet ille in diem Feſtum; & ſi reſiduum eſt, reſiduum erit in uſum Sabbati. Sed conciliat Maimonides interpretatione verborum בתחלה in principio, כלומר לא יהא תחלת בשולו ועקרו לשום שבת אלא לשום י"ט יהא תחלת בשולו: quaſi dicat, non erit coctionis principale ſeu עקר in gratiam Sabbati, ſed in gratiam diei Feſti. Senſus eſt, ipſo die Feſto ſi ſit paraſceue Sabbati, coqui non ad lautitiam Sabbati ſequentis, ſed ad ipſius Feſti delicias: interim abundantius coqui in Feſto ad Sabbati neceſſitatem: modo in paraſceue Feſti per עירובי תבשילין tam Sabbati recordati fuerint quam Feſti. Etſi ergo Feſto in paraſceue Sabbati vindicentur lautitiæ recentis coctionis ad ejus diei majorem hilaritatem, & Sabbato deſtinetur reſiduum; manet tamen, quod ego aſſero, Sabbati diem magnum cenſeri præ Feſto quod in ejus paraſceuen incidit, quia ejus lautitiæ abundantius coquuntur, aſſantur, atque adeo protrahitur quæ in iis parandis ſita eſt opera ſervilis, & fiunt inſuper alia opera neceſſaria illo die Feſto in uſum Sabbati: Quod eſt, ſi ſcapham ſcapham voces, abſque Iudaïca hypocriſi Feſtum diem qui incidit

feria

feria ſexta, facere Sabbati (cujus quoad operum ſervilium ceſſationem major religio eſt) paraſceuen.

VI. Locum Ioh. XIIX, 39, conaris mihi extorquere per decretum de non vacando judiciis capitalibus die Feſto: quia ſcilicet poſtulare ut vinctus ſolveretur, legitime fieri non poterat niſi cauſa cognita & facto rei ac criminis ipſius examine, cujuſmodi illud ſit, verum an falſum; cujuſque generis, an cædes, plagium, incendium, adulterium, &c. hoc vero, inquis, eſt vacare judicio capitali, nam דין נפשות non eſt duntaxat cum reus condemnatur, ſed & cum abſolvitur cauſa cognita. Reſpondeo, legitimam illam, quam tu urges, cauſæ cognitionem & rei cauſa cognita abſolutionem, quantum ego aſſequi poſſum, & conſuetudinem illam, qua unum illis in Paſchatæ dimittebat Pilatus, diſtare toto cœlo. Cenſeo enim in eo ſitum fuiſſe iſtius conſuetudinis negotium, ut hoc beneficio dimitti poſſet aliquis qui legitima facti cognitione inſtituta nunquam dimitti vel abſolvi potuiſſet: atque in eo Iudæis populariter gratificatos fuiſſe procuratores Romanos, intercedente, non ipſo Synedrio, ſed turba univerſa, quod videtur dictare locus Matth. XXVII, 15, ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον ὃν ἤθελον. Quare etiam neceſſe habuerũt Principes ſeniorum & Sacerdotes, ſi ſcopum ſuum aſſequi

aſſequi vellent, πείθειν τοὺς ὄχλους perſuaſione apud turbam, ut verſ. 20.

VII. De loco Matth. xxvi, 5, non lubet ultra contendere, poſtquam fateris eo loco neque Baronii ſententiam vehementer urgeri, neque Caſauboni promoveri.

Verborum Lucæ xxiii, 14, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε interpretationis datæ non video cur me pœnitere debeat. Nemo negat Iudæorum diem à nocte poſt Solis occaſum incipiente inchoari; Lunam quoque & cætera aſtra in ortu ſuo ἐπιφώσκειν. Sed ortus ille non ſemper fit Sole occidente, & habet Luna ſuum interlunium. Et deſidero exemplum aliquod vel in ſacro vel in profano uſu loquendi, quo Sole occidente dicatur dies ἐπιφώσκειν: obſtare enim videtur primæva illa lucis & tenebrarum nomenclatura Geneſios i, 4, 5. Luna & aſtra non faciunt ut dies illuceſcat, ſed ut ſit aliquod, donec dies illuceſcat, tenebrarum ſolatium.

Ad ſcrupulum de cadaveris Chriſti cura à Ioſepho Arimathæo ſuſcepta, cui ex mea hypotheſi vis obſtare diei religionem; obiter dicam quod mihi ſatisfacere queat: ſi nimirum dicamus, fidei luce illuſtratum Ioſephū poſthabuiſſe omnem de cavenda pollutione curam, quippe qui ſciret Chriſtum totum eſſe ὅσιον ἄκακον & ἀμίαντον, cui vel ipſo Sabbato fas fuiſſet illam operam in caſu neceſſitatis impendere,

impendere, quippe Sabbati Domino. Cadaveroſa autem illa pollutio (extra Sabbati religionem de ſervili opera) ceſſabat de jure divino in hora mortis Chriſti.

Satis me vindicaſſe arbitror utramque meam hypotheſin, ac confido fore, ut jam ſatis illas certas eſſe videas. Tempus eſt, ut huic de priori mea Diatriba provocationi ad te ipſum jam attexam, vir amiciſſime, quæ de Sabbato Deuteroproto exiſtimo reponenda.

Non poſſum quin hic mihi gratuler probari hactenus docto & accurato tuo judicio meam de Sabbato Deuteroproto aſſertionem, ut πρῶτον quidem dicatur, quia primum eſt anni cujuſlibet ſacri Sabbatum: δεύτερον vero, quia eſt poſt primum anni civilis Sabbatum: atque ſic primum anni civilis Sabbatum ſit abſolute primum, & πρωτόπρωτον, primum autem anni ſacri Sabbatum ſit δεύτερον πρῶτον, unde factum ſit compoſitum δευτερόπρωτον: id vero eſt quod pag. 70 vocavi meæ aſſertionis caput.

Ad Calendarii mei confectionem quod attinet, in quo 4 Paraſcharum ſcrupuloſam diſpoſitionem exhibeo, non ego adoptare volui Iudæorum, quam lubens hic agnoſco, περιεργίαν: ſed hoc fuit operæ precium hactenus caſtigaſſe viri amiciſſimi ſententiam Sabbatum δευτερόπρωτον nove explicantis de 4 illarum Paraſcharum ſeu Sabbatorum ſecundo, ut oſtende-

oſtenderem à Iudæis ἄρχην δευτερόπρωτον conſtitui in quarto, à Paraſcha quam illi aſſignant dicto החדש, atque cum hac emphaſi interpretandum eſſe illud ראש וראשון in Sedec Tephillot Iudæorum Germanorum.

Nolim autem in περιεργίαν imputare, aut alienum cenſere à veterum ſimplicitate in Bibliorum lectione, quod ſaltem duobus iſtis primis Sabbatis aſſignarunt priori Paraſcham בראשית, alteri החדש. Alienum videretur, ſi illas loco moviſſent, de reliquo Paraſcharum סדר ipſi viderint. Quid quæſo ſimplicius in religione Iudaïca quàm primum anni civilis Sabbatum auſpicari à lectione primi capitis primi libri Moſis, qua mundi, & Solis annum metientis creatio commemoratur, & ipſa Sabbati prima origo: primum autem anni ſacri Sabbatum inchoare à lectione capitis XII Exodi, quo commemoratur prima neomeniæ Niſan indictio divina, iſque conſtituitur menſium primus.

Illud tibi videtur abſurdum, quod quando neomenia Niſan in Sabbatū non incidit, Sabbato menſis initium antecedente legant Paraſcham החדש, quia abſurdum eſt, legere iſta verba: Hic menſis erit vobis omnium totius anni primus, quando verſaris in ultimo anni menſe; περιεργίαν facile vocavero, abſurditatem cur imputem non video, quia id faciunt non niſi

niſi affecto & exeunte menſe ultimo, & quidem poſtquam lectione Paraſcharum, quæ aſſignatæ ſunt Sabbato ultimo, tanquam officio illius Sabbati proprio, jam defuncti ſunt: quæ quidem Paraſchæ ſunt vel פקודי vel שמיני quandoque binæ ויקהל ופקודי, illis ſecundo, quandoque tertio loco ſubnectitur החדש. Mihi quidem abſurdius videtur, ſi celebrata jam ſolenniter in ſeptimana neomenia Niſan, poſtliminio ſequente Sabbato verba iſta legantur, quæ aperturam faciunt novi anni ſacri, quam ſi pridie vel IV, vel ad ſummum VI Kalendas neomenia paulo poſt futura denuncietur: nemo enim tam ſtupidus, qui in illum errorem induci poſſet, ut de exeunte menſe ultimo verba illa accipiat. Hic menſis erit, &c.

Vides jam me non facere ultimum anni ſacri Sabbatum primum, ſed aliqua tantum ſui officii particula primi vicarium. Lubentiſſime enim conſtanter aſſeram, non eſſe in re aliud Sabbatum δευτερόπρωτον, quam primum Sabbatum menſis Niſan, in quocunque anno dato. Sed hoc non obſtante, etiamnum inclino in illam ſententiam, peculiari religione Iudæos ſanctificaſſe primum menſis Niſan Sabbatum, quando incideret in Kalendas, quam quando differretur in tertiam, vel quintam, vel ſeptimam Niſan, quippe elapſo jam ante anni principio δευτεροπρώτω, & celebrato in ipſa Neomenia.

Digitized by Google

menia: atque ſic vere dici potuiſſe Judæos non *ἄγειν πρῶτον* iſtud Sabbatum, *ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ*. Falleris, ſi me exiſtimas ſecus, quam jam explicatum eſt, ſenſiſſe de Sabbato neomeniam Niſan antevertente: vocavi enim exſertè Sabbatum ultimum anni ſacri, quod una opera anticipatione Paraſchæ החדש fiebat primi vicarium, pag. 75. & memini me D. Ludovico de Dieu eundem ſcrupulum moventi reſcribere: De primo Analogato ubi conſtiterit, nullo negotio tranſigetur de ſecundo. Primum vero Analogatum ſtatuo Sabbatum בראשית incidens in vigeſimam quartam Tiſri, item Sabbatum החדש incidens in Kalendas Niſan: ſecundum vero Analogatum utrobique eſt, quod vel proceſſione, vel retroceſſione, à ſua ſede emigrat. Volebam, me nolle contendere, an proceſſione illa, an retroceſſione in Paraſcharum lectione utendum fuerit in aliis annis, modò id conſtet, rite vocari prima duo illa Sabbata, quæ extra controverſiam illum annum civilem & ſacrum inchoant, in quo ita conſtitutum eſt Kalendarium, ut prius in vigeſimam quartam Tiſri, alterum in Kalendas Niſan incidat.

Falleris quoque, quod opinaris, ſecundum me, Sabbatum *δευτερόπρωτον* ſemel tantum in quadriennio occurrere in Lunæ *φάσει*, ter autem *φάσιν* antevertere. Verum quidem id in quatuor illis annis, quorum

quorum tertius currit jam à vigeſima Septemb. ſed ut à me adnotatum eſt ſecus paulo ſe habet in univerſum: incidet enim rurſus ex epilogiſmo Iudaïco neomenia Niſan in Sabbatum demum anno 1640, & exinde annis 1643, 1646, 1647, 1650, 1653, 1660, 1667, 1670, 1673. Vides, quandoque ſexennium, quandoque biennium tantum intercurrere: quandoque id fieri duobus annis continuis: quemadmodum id quoque accidit annis 1619, 1620, 1622, & 1623, intercurrente inter duo illa biennia uno tantum anno 1621, cui reſpondet tertium ſchema in meo Kalendario: ſimile quinquennium obſervo fuiſſe anno mihi nàtali 1592, & 1593, cum annis 1595, 1596, intercurrente ſimiliter anno 1594. Sed hæc ſunt veræ λεπτότερα. Nullus jam dubito quin hic ſummus ſit inter nos & in reipſa, & in interpretatione Clementis Alexandrini conſenſus futurus.

In loci Maimonidis interpretatione, bene habet, quod mecum cenſes, hallucinari Petitum. Inter meam & tuam Paraphraſin nihil contradictionis videre poſſum, quod enim ego cenſui Maimonidem illis verbis comparatione facta inter Sabbatorum computum & inter neomeniarum obſervationem ut minus obviam omnibus, docere voluiſſe, indictionum neceſſitatem ac ſimul originem & principium in indictione divina à menſe Niſan,

Niſan, cujus divinæ indictionis loco jam ſint attendenda plebi Senatuſconſulta: id non poſſem magis illuſtrare, quam tua verborum Hebraicorum paraphraſi. Vnicum eſt quod inſerui his verbis (initio facto à Sabbato בראשית) quod cenſes arreptum præter auctoris mentem, atque doces verba iſta כמו שבת בראשית ſic accipienda, quomodo Sabbatum in prima rerum creatione à Deo inſtitutum. Domanus, quia video Maimonidem ſic vocare abſolute feriam ſeptimam, Tamidin cap. VII, §. 11. ſecus quam accipitur in Iudæorum lectionario: ſimpliciſſima ergo verborum interpretatio eſſe poſſet, ſicut Sabbatum Geneſios.

Negas mihi aſſenſum in explicatione verborum iſtorum *τὶ ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι*: quia, inquis, ſi ea mens Phariſæorum fuiſſet, quam ego illis tribuo, non debuerit Sabbatum adduci pro cauſa cur non licuerit facere, ſed tẽporis Paſcha antecedẽtis circumſtãtia. Atqui illam tẽporis Paſcha antecedentis circũſtantiam volui implicitã eſſe una cũ Sabbato numero plurali, qui adhibetur apud Marcum & Lucam: vide pag. 68. neque repugnat numerus ſingularis apud Matthæum cap. XII. nihil enim cogit de Sabbato præciſe & ſolitarie id accipere. Et ſi conferantur verba apud Marcum cap. II, 24, *τὶ ποιοῦσιν ἐν τοῖς σάββασιν ὃ οὐκ ἔξεστιν*, apparet hanc eſſe veram

ſyntaxin Matt. XII, 2, *οἱ μαθηταί σου ποιοῦσιν ἐν σαββάτῳ ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν*, & Luc. VI, 2 *τί ποιεῖτε ἐν τοῖς σάββασιν ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν*. Atque hæc ſyntaxis juvat meã Analyſin, qua duo facio accuſationis capita, unum de violatione Sabbati, alterum de ſacrilega manducatione ariſtarum ante oblationem Omer, contra mandatum Levit. XXIII, 14. Facere quod non licet eſt *κακοποιῆσαι*: in Sabbato *κακοποιῆσαι* dupliciter peccare eſt. Apologiam quoque Chriſti bimembrem eſſe indicat tranſitionis formula apud Marcum & Lucam, *καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς*. Prius membrum eſt adductio exempli Davidis in caſu neceſſitatis manducantis panes ſacros, quæ manducatio ſpeciem habet non violationis Sabbati, ſed ſacrilegii: *ἀπροσδιόνυσον* id ad opus ſervile in cibi apparatu, neceſſario itaque alio referri debet. Alterum membrum eſt de Sabbati profanatione, quod non inchoatur ante, quam Matt. XII, 3, 4. Marc. II, 25, 26. Luc. VI, 3, 4.

De oblatione Omer poſtridie Paſchatis ſuperſunt ſcrupuli quos moves.

I. Ex notatione nominis, quia Primitias novarum frugum Deus offerri voluit, videris argumentari, non debuiſſe ad aliquam *ἀκμὴν* maturitatis fruges pervenire, nec meſſem aliquam inchoari ante oblationem Omer. Primitias enim novarum frugum interpretaris primas

quæ

quæ maturuiſſent ſpicas, plane, inquis, quomodo in hoc noſtro Andegavenſi diſtrictu, certo quodam loco circa medium menſem Auguſtum Miſſa canitur vini novi : non quod tum ullibi toto iſto tractu muſtum exprimatur in torculari, & vites vindemiari incipiant, id enim non fit, inquis, niſi circa finem Septembris vel initio Octobris : ſed quia circa medium Auguſti invenitur interdum uvę racemus unus & alter præcox nec dum plane maturus, ſed utcumque edulis, ex quo exprimi poteſt ſuccus, qui utcunque muſtum referat.

II. Ex temporis intervallo, quod Deus voluit intercedere ad abſolvendam meſſem, ſeptem nimirum ſeptimanas à Paſchate ad Pentecoſten, argumentaris non cœpiſſe meſſem ante Paſcha, quia ad meſſis conſummationem ultra ſeptem ſeptimanarum intervallo opus non eſt.

III. Ex legis διάνοια, cui, inquis, ſatisfiebat, ſi vel pugillus in tota Iſraelis terra inveniretur frugum matureſcentium, qui Deo poſtridie Paſchatis offerretur, argumentaris non oportuiſſe omnes qui ad Feſtum aſcendebant manipulum novarum frugum ſecum adferre, quem Deo offerrent.

IV. Ex lege Deuter. XVI, 9, Falcem immitti in meſſem poſtridie tantum Paſchatis, arguis nō cœptam fuiſſe meſſem ante Paſcha, ac nunquam conceſſerim,

inquis, ſolum eſum atque uſum novarum frugum fuiſſe interdictum.

Reſpondeo ad cuncta hæc ex loco Levit. XXIII, 10, Deum filiis Iſrael præcepiſſe, ut manipulum ſpicarum primitias meſſis ſuæ deferrent ad Sacerdotem, cum meſſuiſſent ſegetem. Cum ingreſſi fueritis in terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, &c. conſentit cum vulgato utraque verſio Gallica, *Quand vous ſerez entrez & aurez moiſſonné, &c.* Hinc planum eſt, manipulum non à Sacerdotibus aut eorum emiſſariis, ſed à filiis Iſrael demetendum, ac demeſſum deferendum fuiſſe ad Sacerdotem. Quod filiis Iſrael faciendum erat, πανδημεὶ, fieri neceſſe erat unicuique in ſua ſegete, neque Legi ſatisfieri poterat, ſi falce in alienam meſſem immiſſa aliquis detuliſſet ad Sacerdotem manipulum non ſuum: neque ſi, ut tu vis, in tota Iſraelis terra in unius filiorum Iſraelis ſegete tantummodo inveniretur pugillus frugum matureſcentium. Si illa eſſet Legis διάνοια, non πανδημεὶ filiis Iſraelis id mandatum fuiſſet. Vt enim non fuerit oblatio privatorum, ſed, ut vult Maimonides in Tamidin cap. 7, מנחה של צבור, aut ut divino mandato nixam credam περιεργίαν illam omnem quam ibidem recenſet, nominatim quod ait præceptam eſſe meſſem nocturnam per שלוחי ביח דין emiſſarios domus judicii

cii, מצותו להקצר בלילה non adducor.

In iſta tamē περιεργία Iudaica, qualem ibi tradit, obſervo ipſum præſupponere tantam ſaltem ſegetum paſſim maturitatem, ut facile duabus aut tribus ſeptimanis ante Paſcha diſcipuli Chriſti reperire potuerint ſpicas quas fricarent & comederent; & biduo ſaltem aut tridno ante Paſcha fieri potuerit initium illud meſſis, quod ad oblationem Omer neceſſarium erat. Affirmat Maimonides illa nocte XVI Niſan demeſſa fuiſſe tria σάτα ſeu tres ſeſquimodios hordei וקוצרין שלש סאין שעורין בשלשה אנשים, Adeo ut Omer quod Sacerdos agitabat, ſeu manipulus, ſecundum Maimonidem, fuerit trium illorum ſatorum decima tantum, וטוחנין את השלש סאין· ומוציאין מן הכל עשרון· שהוא מנופה בשלש עשרה נפה, Et molunt, inquit, tria illa ſata, & ex toto illo ſumunt decimā, quæ agitatur tredecim agitationibus. Abſque ſaltem tantilla hac ubertate, quodnam quæſo, ex tua Hypotheſi de uno pugillo, poterat eſſe illud τὸ λοιπὸν, quod teſte Ioſepho relinquebant Sacerdotibus? illa vero tria ſata unica illa, non dicam nocte, ſed, ſeptimana antecedente primum maturuiſſe, ut decerpi ante non potuerit pugillus matureſcens, quis credat? Sed apertius eſt quod ibidem Maimonides his verbis ex Maſſecher. cap. 10, §. 9, מצותו לבוא מן הקמה לא מצאו מן העומרים· מצותו לבוא מן הלח לא מצאו

יבוכאו מן היבש, Ius illius eſt, ut afferatur ex ſtante ſegete, ſi non inveniunt, adferunt ex manipulis: Ius illius eſt, ut afferatur ex virente ſegete, ſi non inveniunt, adferunt ex ſicca, Tamidin cap. 7, §. 8. Planum eſt ergo ex Talmude, tempore oblationis Omer meſſem hordei quandoque tantum non conſummatam fuiſſe, adeo ut non ex ſtante ſegete demeti poſſet, ſed ex demeſſis jam manipulis ſumendæ eſſent primitiæ ad ſacerdotem deferendæ: ſaltem ad illam *ἀκμὴν* ſegetes non raro perveniſſe XVI Niſan, ut virentes amplius ariſtæ reperiri non poſſent, ſed ad Solem omnes jam ſiccatæ eſſent: quod immane quantum abeſt ab eo quod in Andegavenſi diſtrictu fieri narras.

Quod de temporis intervallo à Paſchate ad Pentecoſten cenſes nimium fuiſſe ad meſſem abſolvendam, ſi ſeptimanas duas aut tres ante Paſcha cœpiſſent ſegetes matureſcere; facilis eſt reſponſio, fuiſſe alias præcoces, alias ſerotinas ſegetes: Iudæi ea propter cenſent manipuli oblationem ex hordeo, non ex tritico, ſumptam fuiſſe. Sic Maimonides ibidem: עומר זה מן השעורין היה בא ודבר זה הלכה ממשה רבינו, Omer hoc ex hordeo fuit ſumptum, atque iſthæc conſuetudo eſt tradita à Moſe magiſtro noſtro. Vide etiam Chaldæum interpretem & R. S. Iarchi Ruth 1, 22, ad verba illa בתחלת

בתחלת קציר שעורים. Deinde utut nimium fuerit iſthoc pacto intervallum temporis ad meſſem aliquam ſingularem in uno aliquo agro abſolvendam, non tamen ſequitur nimium fuiſſe ad ubique cunctis in locis & agris terræ Iſraelis finem meſſi imponendum: notum eſt, triticum aliud alio ſerius aut ocyus matureſcere, præſertim in montanis regionibus, ex ſitus agrorum in montibus, & vallibus differentia.

Quod attinet locum Deut. XVI, 9; nulla eſt ibi excluſiva particula quæ nos cogat credere iſta nocte XVI Niſan, quam tu urges, non die uno aut pluribus ante demetendas fuiſſe primitias ex quibus offerretur manipulus. Verba quæ meæ ſententiæ videntur repugnare iſta ſunt, מהחל חרמש בקמה, Ex quo incipit falx (mitti) in meſſem: At ſupple ex Ioſepho *δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ*, id eſt populariter & in privatos uſus. Favet mihi obſervatio Merceri in Theſauro Pagnini, eſſe qui verbum Hiphil (quod hic adhibitum eſt) accipiunt pro Initio publicare, Publice ordiri: & ſic non male transferretur oppoſite ad ſacras ante demeſſas primitias profanandi ſignificatione, niſi vocis uſus ſequior vetaret. Certe de ſegetum meſſe nullum invenio quale tu urges מצוה לא תעשה præceptum prohibitivum, ſed tantum de eſu atque uſu frugum demeſſarum ante obla-

Digitized by Google

lationem Omer Levit. XXIII, 14. Atque ea propter quod de περιεργία Pontificiorum in Miſſa vini novi adfers, me confirmat eouſque in ſententia mea, ut credam ſimplicitati Scripturarum adeo conſentaneam eſſe, ut præter ſuperſtitionem nihil contra militet.

Verum enimvero etiamſi περιεργία non careat nocturna illa meſſis, qualem deſcribit Maimonides loco ſupra laudato auctoritate codicis Menachot c. 10, §. 3, ſtabilit tamen ipſe Maimonides illam ipſam quam ego urgeo ſimplicitatem Scripturarum eouſque, ut aperte aſſerat non vapulaſſe qui metebat ante meſſem Omer, & meſſem rectam fuiſſe והקוצר קודם קצירת העומר אינו לוקה והקציר כשר Tamidin cap. 7, §. 21. Quod idem Maimonides in caput x codicis Menachot (quemadmodum ibidem Barthenora) confirmat ex verbis Levit. XXIII, 10. Maimonides ſic; ואמר וקצרתם את קצורת וגומר וממה שנאמר וקצרתם אנו מביאים ראיה שמותר לנו לקצור קודם העומר, Et dicit (Scriptura) & meſſueritis meſſem, &c. Et ex eo quod dictum eſt, & meſſueritis, nos deducimus argumentum, licuiſſe nobis metere ante Omer. Subjungit Enantiophanes illud quod tu urges ex verbis iſtis, Primitias meſſis veſtræ, ſed conciliat ex ſua hypotheſi hoc pacto וממה שואמר ראשית קצירכם ראיה על שאין קוצרים לפניו שום דבר, Et ex eo

ex eo, inquit, quod dictum eſt, primitias meſſis veſtræ, ducitur argumentum, quod non metunt ante Omer quidquam ואמרו בחבורעת הענין הזה ממקום שאתה מביא אין אתה קוצר ממקום שאין אתה מביא אתה קוצר. Reſpondetur ad deciſionem hujus negotii: Ex loco unde adducis (Omer) non demetes (ante). Sed ex loco unde non adducis (Omer) licet tibi (ante) metere. De locis itaque ex quibus vult non adferri Omer ſtatim ſubjungit: מותר לקצור מאותן המקומות קודם קצירת העומר · אבל אין דשים אלא אחר הקרבת עומר, Licitum eſt demetere ex illis locis ante meſſem Omer, verum non triturant niſi poſt oblationem Omer. Vides apertiſſime confirmatam ſententiam meam de non vetita meſſe, ſed ſolo meſſis uſu ante oblationem Omer.

Plura non addam. Hæc vir doctiſſime atque amiciſſime habe à candido pectore & veritatis tuique ſtudioſiſſimo, & cedere parato meliora docenti. Moram paulo longiorem quam ipſe volui boni conſule, ac partim imputa, quod mihi diffiſus cum ante menſem affectas haberē vindicias haſce deſcribendas minime duxerim ante exploratum amici D. de Dieu (cujus beneficio Maimonide uti datum eſt, quem mea nō totum bibliotheca capit) judicium: qui lecto tuo & meo autographo, reſcripſit, ſe magis jam mihi adſtipulari quam dudum. Hoc ita-

Digitized by Google

que ſuffragio confidentior factus, inter deſcribendum quoque auctiorem feci hanc lucubratiunculam vel altera ſui parte: maxime quod copia mihi etiam aliunde fieret libri Iudaici עקידת יצחק, de cujus mente antea quoque mihi divinandum fuit: quod & mihi non proceſſit bene. Poſtquam enim jam mentem loci aſſequor, video delendam mihi una litura parentheſin illam, quam pag. 8 inſarcivi verbis iſtis (quod de primo Feſti intelligo, quia ſit divina inſtitutione Sabbato *ἰσότιμον.*) De cætero non vereor ad te ipſum ſerio provocare, fretus tua illa æquitate, qua ingenue & amice profeſſus es, lubenter te in meam conceſſurum ſententiam, & locorum Scripturæ quam adfero interpretationi facile acceſſurum, ſi modo duas, quibus ſententia mea nitebatur, hypotheſes ſatis certas eſſe videres. Quapropter initio nihil præter illas Hypotheſes tractare animus erat, donec de illis inter nos tranſactum eſſet: jam autem moram longiorem uberioris tractationis uſura compenſandam duxi.

De Sphalmatis Typographicis obſervatis gratias habeo: nonnulla meam quoque aciem fugerant. Sed de primo Sphalmate ſic habe: Scripſeram diei 13, Typothetes legit die 13: ut ſcribam die 15, non permittit Caſaubonus pag. 471, loquitur de Cœna quam Chriſtus anti-

cipans

cipans diem paraſceues Iudaicæ, ut ipſe ſentit, comederit exeunte veſpera diei XIII, ineunte nocte XIV. De tribus reliquis bene mones.

Occaſione hac quod duo poſteriora ſuggerunt vocem Purim, lubet corollarii loco apud te deponere conjecturam meam ad locum Tertulliani πολυθρύλλητον adverſus Marcionem lib. v, c. 4. Dies obſervatis & mēſes, & tempora, & annos, & Sabbata, ut opinor, & Cœnas puras & jejunia & dies magnos. Quia non ſatisfaciunt aliorum conjecturæ, velim ego mendoſum eſſe vel à Tertulliano, vel ab amanuenſibus, Cœnas Puras, pro Cœnas Purim, quas conſtat inſtitutas ſublato Hamano & omnibus Iudæorum hoſtibus, ex hiſtoria Eſteræ, & ſolemniter celebrari ſolitas, 2 Macc. 15. Confer quæſo ſymbolam tuam.

Vale ac ſalve plurimum, meque amare, & ſtudiis meis favere perge. Deus te diu ſoſpitet, ac ſanctis tuis laboribus benedicat. Iterum Vale.

Idibus Decembribus
1634, *Briela.*

Tuus ex animo, atque omni officio totus,

IO. CLOPPENBURCH.

Digitized by Google

Viro Cl. D. LVDOVICO CAPPELLO.

IO. CLOPPENBVRCH.

VIr Reverende, Doctiſſime, atque Amiciſſime,

Annus eſt, & quod excurrit, ex quo reſpondiſti, te malle ἐπέχειν, quam porro obluctari in controverſia de Sabbato Deuteroproto & Paſchate Chriſti, lectis meis pro utraque Diatriba vindiciis: ſpem tamen faciebas accuratioris tui examinis, ſi quando daret Deus, ut reſpirares ab ea quæ te premebat calamitate: quod niſi ſubmitteres, jubebas ut ſilentium tuum interpretarer tacitam approbationem. Gratulatus mihi ſum tantum non de elicito conſenſu. Interim ſuperiori æſtate, cum familiariter uterer viro Cl. D. Salmaſio, quem hic detinebat invitum ventus adverſus navigaturum in patriam, communicavi ipſi amicam noſtram collationem, cui lecta adeo placuit, ut ipſe hortaretur ad editionem, qua alii etiam provocari poſſent ad conferendam ſymbolam, quod ante etiam hortatus erat non nemo amicorum. Ego, quia ſacroſancta mihi eſt amicitia noſtra, reſpondebam, me id demum facturum quando tu velles & juberes rogatus. Huic fini has tandem à

me

me impetravi ad te literas, Deum veneratus, ut te illæ offendant liberum illis anguſtiis quæ ſpiritum tuum afflixerunt olim. Quod ſi dederit Deus, gratum quoque feceris ſi digneris tuam ſymbolam conferre ſuper uno aut altero Problemate quod hic exponam. Non potuerunt mihi hactenus ſatisfacere gloſſæ in locum Act. XXIII, 5. Οὐκ ᾔδειν ἀδελφοὶ, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. Quæritur, inquit Beza, ſerione an ſancta quadam ironia ſic locutus ſit Paulus: mallem dixiſſet, An ſimplex ſit loquutio, an tropum habeat ironiam, utrovis enim modo & ſerio & vere quod res erat loqui potuit ac debuit. Sentit autem Beza, ob illam quæ ex Ioſephi hiſtoria liquet anarchiam & confuſionem, Ananiam uſurpaſſe id quod erat Pontificis maximi cum ipſe non eſſet Pontifex: atque id Apoſtolum his verbis reprehendere, fuiſſe enim Pontificem Iſmaëlem ſive Ioſephum, cui per uſurpationem Ananiæ hic relinquebatur nudum nomen. Non videtur neceſſum eſſe, ut huc confugiamus. Si enim in verbis iſtis ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεὺς dicamus verbum Subſtantivum non eſſe nudam copulam, neque enunciationis ſubjectum eſſe Ananiam, & prædicatum ἀρχιερεύς; ſed τὸ ἀρχιερεὺς eſſe ſubjectum, & in τῷ ἐστὶν eſſe & copulã & prædicatum: breviter, eſſe propoſitionem, quam Logici vocant ſecun-

di adjecti; optimus emerget ſenſus & maxime ſerius, aliqua tamen ironia temperatus: hic ſcilicet, Non noveram ullum ſupereſſe Pontificem Maximum, ſi quis revera ſupereſt; peccavi fateor contra id quod ſcriptum eſt, Principi populi tui non maledices. Remota ergo ironia dixiſſet Paulus, Nihil peccavi in illam Legem Dei, nullum enim agnoſco jam ultra in terris conſtitutum, quem fas ſit vocare τ̃ ἀρχιερέα τȣ̃ Θεȣ̃, verſ. 4. Optimus verborum ſuorum interpres Paulus capite ad Hebræos IIX, docens non jam in terris, ſed in cœlis nos habere τ̃ ἀρχιερέα ȣ̃ Θεȣ̃. Hoc pacto nulla eſt in Pauli apologia palinodia, aut culpæ deprecatio prætextu ignorantiæ, ſed conteſtatio de Sacerdotio ejuſmodi, qua non Ananias unus, ſed quiſquis tandem foret ille, qui ſe venditaret Pontificem ſummum in terris, poſt Chriſti ingreſſum in cælos, hoc ipſo nomine declaratur merito cenſendus dealbatus paries, non ob ſolam cordis, ſed etiam ob ſacerdotalis functionis hypocriſin, & larvam veritate caſſam.

Alterum Problema habe occaſione obſervationis tuæ ad Hiſtoriæ Iudaïcæ compendium ex Ioſepho, de Ieſu Chriſti Domini noſtri mentione perhonorifica, quæ extat apud Ioſephum. Merito ſuſpecta tibi videatur, quæ iſthic de Chriſto dicuntur, & falſo adſcripta Ioſepho

ſepho

Digitized by Google

ſepho περιοχὴ illa, cujus nulla eſt cum antecedentibus & ſequentibus connexio. Cogita quæſo accuratius, Annon vero ſimile ſit, fuiſſe illo loco à Ioſepho factam Chriſti mentionem ejuſmodi, quæ ἀναλόγως perfidiæ Iudaïcæ blaſphemam habuerit connexionem cum ſequenti hiſtoria, quæ magis ἀπροσδιόνυσος eſt, ut jam quidem jacet, quam mentio Chriſti: ut voluerit Ioſephus parallelismo Paulinæ, ſua opinione à Deo, revera à Decio Mundo imprægnatæ aut ſtupratæ ridere Fidem Chriſtianam de conceptione Ieſu Chriſti & nativitate ex Virgine per operationem Spiritus ſancti. Propter quam blaſphemiam ita ſuſpicor à Chriſtiano aliquo caſtigatum & caſtratum eo loco Ioſephum, ut jam illa περιοχὴ ſit ἀσύνδετος. Hoc miratus ſum aliquando, quomodo (niſi vehementer fallor) apud neminem alium extet illa de Decio Mundo & Paulina narratio, vel aliud ejus veſtigium, quam illud quod eſt apud Valerium Maximum, de ſecuri arrepta à L. Æmilio Paulo Coſ. templique foribus inflicta, cum Senatus Iſidis & Serapis fana diruenda cenſuiſſet, eaque nemo opificum attingere auderet, lib. 1, cap. 13. Diſcere velim, ſi quod aliud veſtigium indagaveris ejus narrationis. Gratiſſimum erit cognoſcere, an ſapiat tibi mea hæc conjectura de luxata, hoc pacto, hiſto-

riæ

riæ Ioſephi συναφεία: item nova illa verborum Pauli periphraſis. Vale ac ſalve plurimum, & me, ut facis, ama. Deus te ſoſpitet, ac ſanctis tuis laboribus benedicat.

Briela, 1636, 7 *Aprilis*.

Tuus ex animo atque omni officio totus,

IO. CLOPPENBURCH.

Digitized by Google

IO. CLOPPENBVRCH
LVD. CAPPELLVS.

REdditæ ſunt mihi, Vir doctiſſime atque amiciſſime, ante octiduum literæ tuæ 7 April datæ. Dominus Barth. de Wouvv, cui procurandas ad me dederas, ſcribit literis Haga IX Iunii datis, eas, neſcio quo caſu, vel fato, Lutetiam à ſe tranſmiſſas, mox Hagam ad ſe rediiſſe: itaque ſi ſerius ad illas reſpondeo, non culpæ meæ, ſed caſui ſeu fato illi imputato. In illis renovas memoriam utriuſque tuæ doctæ Diatribæ de Chriſti Paſchate, & Sabbato Deuteroproto, ac tuarum ad Obſervationes meas Vindiciarum ſane pereruditarum atque accuratiſſimarum, ante ſeſquiannum & eo amplius ad me tranſmiſſarum, ac ſignificas tum amicorum aliquot, tum maxime Clariſſ. Domini Salmaſii hortatu ſollicitari te ad earum editionem: at nolle te, pro mutua quæ inter nos intercedit amicitia, id me inconſulto aut invito facere: itaque poſtulas, quid hac in re fieri velim. Ego vero, mi doctiſſime Cloppenburgi, etſi nondum licuit per varias, quibus hactenus diſtrictus fui, occupationes, Vindiciarum tuarum accuratum examen inſtituere, ſententiamque meam adverſus exceptiones tuas defendere,

neque

neque dum vacat per ocium id facere, nec vero certum mihi eſt, quando, & an omnino id facturus ſim, tu vero & amici putatis editione illa poſſe alios provocari ad conferendā ſymbolam ſuam illuſtrando iſti tam nobili argumento; non equidem intercedo, quo minus à te una cum utraque tua Diatriba edantur mutua illa noſtra in eam ſcripta: nolim enim in publica (quando ſic judicatis) commoda peccare. Per me licet edantur illa. Nam ſi ego fallor (quod nondum apud me conſtitutum eſt) non pœnitebit me erroris hujus mei (qui ſi error eſt, certe ejuſmodi non eſt, ut vehementer erubeſcere debeam hic me poſt longe clariſſimum Caſaubonum erraſſe) à te tam erudita ſimul & amica reſponſione revinci; neque pigebit obſervationibus meis ad tuas Diatribas anſam tibi præbuiſſe, de eo argumento accuratius commentandi. Sin potior forte eſt mea ſententia, ſed non ſatis fortiter à me propugnata, dabitur forte alicui ex hac amica noſtra contentione occaſio de controverſia illa penitius cogitandi, remque totam plenius ac planius explicandi. Quod ſi ipſe poſtmodum Vindicias tuas examinandas ſuſcipiam (id quod nondum apud me conſtitui) tum certe pro noſtra amicitia, commentatiunculam meam (qualis qualis ea fuerit) tibi communicabo, eamque judicio & examini

mini tuo ſubjiciam, ut per te illa ſtet vel cadat. Itaque age mi Cloppenburchi, noli per me amicorum cohortationibus reluctari diutius, habebis me editioni quam à te flagitant non modo non repugnantem, verum etiam ultro aſſentientem.

Venio ad duo illa quæ tu literis tuis proponis mihi problemata. Et ad Prius quidem illud ex Act. XXIII, 5, οὐκ ᾔδειν ὅτι ἀρχιερεύς ἐστιν, acuta ſane eſt & ingenioſa tua loci illius, & Paulini dicti explicatio: neque vero ad eam neceſſe eſt ut verba illa ὅτι ἀρχ. ἐστιν ſint (ut tu vis) propoſitio ſecundi (uti loquuntur in Scholis) adjacentis: nam etiamſi Ananias ſit enunciationis illius ſubjectum, ἀρχ. autem prædicatum, manebit tamen nihilominus ſenſus ille quem tu illi loco accommodas: nempe vere potuit Paulus dicere (ſi modo hoc voluit dicere) non agnoſco jam iſtum Ananiam pro ſummo Dei Pontifice. Nam ſi verum eſt (quod ſane veriſſimum eſt) nullum tum temporis fuiſſe de jure legitimum Leviticum ſummum Pontificem, quia Chriſtus verus Pontifex Sacerdotio ſuo defunctus cœlo receptus erat: verũ etiam fuit dicere, Ananiam non fuiſſe ejuſmodi legitimum Pontificem. Sed vereor, ne non hæc fuerit Pauli eo loco mens. Et primò quidem, quia non parum recedit ſenſus ille à plana & ſimplici atque aperta

aperta agendi ratione, quam viri illi Dei in omnibus dictis & factis ſuis obſervabant: eſt enim reconditus admodum & abſtruſus verborum illorum Pauli apud Iudæos incredulos ſenſus ille, quique nullo modo ab ejus auditoribus divinari, aut è verbis illis erui, imo vero nulla de eo animis eorum ſuſpicio injici poterat. Itaque ſi hæc Pauli, quam tu vis, mens fuiſſet; omnino eam (uti videtur) ſtatim explicuiſſet, atque inde occaſionem diſſerendi de Chriſti Sacerdotio ejuſque in cœlum aſcenſione cœpiſſet, Chriſtumque ipſis annuntiandi indidem initium feciſſet: quod cum non fecerit, videntur alio referenda eſſe illa Apoſtoli Pauli verba. Deinde verbum ἤδειν in tempore præterito videtur interpretationi illi repugnare: non enim dicendum illi fuerat ἤδειν, ſed οἶδα, in præſenti: neque id debuit Apoſtolus dicere de ſolo ſummo Pontifice, ſed de omnibus omnino qui illic adſtabant Leviticis Sacerdotibus. Itaque dicendum potius erat Paulo, οὔκ οἶδα πάντας ὑμᾶς ἔτι νῦν ἱερεῖς ὄντας: atque hujus ſuæ aſſertionis ſubjicienda ſtatim erat ratio ducta à Chriſti paſſione, reſurrectione, & in cœlum aſcenſione. Quare videtur Paulus verbo præteriti temporis ἤδειν voluiſſe innuere tempus ſeu momentum illud, quo Ananiæ convitium dixerat, ut hoc voluerit, Ego, fratres, quum ſic loqu-

loquutus ſum, non cogitavi illum eſſe ſummum Pontificem. Sic fuerit excuſatio ſubitæ iræ, quæ illum præcipitem egit in convitium, cujuſmodi ira, ob tam inexpectatam & atrocem quam acceperat injuriam & contumeliam, etiam in conſtantiſſimum virum cadere poteſt: ut neminem offendere debeat, Paulum eâ fuiſſe commotum, atque ita ea perturbatum, ut non ſatis quid, & in quem diceret, attenderit: quando videmus Ionam longe vehementiori, multoque magis immerito in Deum ipſum ira & indignatione fuiſſe commotum. Infirmitatis itaque humanæ fuit indicium, quod ſic accenſus ira fuerit ſubita Paulus: (quemadmodum, quod alibi exacerbatio inter ipſum & Barnabam exorta ob Marcum narratur, ejuſdem infirmitatis fuit vel in ipſo vel in Barnaba argumentum) ſed pene ἀδιαβλήτου valdeque tolerabilis, atque παρ' ἀνθρώπους admodum excuſabilis infirmitatis. At virtutis veræ Chriſtianæ illuſtre fuit documentum, quod admonitus ſtatim agnoſcit culpam ac veniam veluti deprecatur. Objicies forte, Paulum non ignoraſſe Ananiam fuiſſe ſummum Pontificem, quandoquidem videbat eum primo loco ſedentem in Synedrio, ipſumque adeo Paulum id verbis illis agnoſcere atque fateri ὅτι σὺ κάθη κρίνων κατὰ νόμον, proindeque eſſe aliquam mendacii

ſpeciem

Digitized by Google

ſpeciem in illa Pauli excuſatione, quod Apoſtolo Chriſti videtur indignum. Nolo jam excipere, eum qui ſedet primo loco in Synedrio non eſſe ſummum Pontificem, nam ut in Senatu, ſic & in Synedrio abſente Pontifice, qui eſt ei ſecundus, primo loco poteſt ſedere vicem ejus gerens: & ſi ſecundus abeſt, qui tertius eſt, primum locum in Synedrio occupabit, ſicque deinceps, pro Senatorum & Synedrorum ordine. Paulus ergo Ananiam de facie forte non noverat, & potuit ſuſpicari abeſſe ab eo Synedrio ſummum Pontificem: itaque neceſſe non habuit putare eum eſſe ſummum Pontificem, quem videbat primo loco ſedentem; cum potuerit ille eſſe alius à Sacerdotum Collegio, qui locum ſummi Pontificis teneret. Nolo, inquam, hac me exceptione tueri, ne quis regerat, parem deberi honorem illi qui Pontificis vices gerit, qui ipſi Pontifici debetur. Hoc ergo dico, Paulum verbis illis οὐκ ᾔδειν &c. non negare ſimpliciter & abſolute ſe ſciviſſe Ananiam fuiſſe ſummum Pontificem; ſed tantum ira commotum atque perturbatum non id cogitaſſe, excidiſſe ſibi illud, uti ſolet fieri in vehementibus & ſubitis ejuſmodi perturbationibus. Itaque non fuerit illa Pauli reſponſio mendacium Apoſtolo Chriſti indignum, ſed id vere dixerit, quod experiuntur omnes qui aliqua ſimili

mili perturbatione commoventur, animo nempe id illis excidere, quod ante perturbationem ſatis noverant. Objicies forte ſecundo, nihil opus fuiſſe Paulo ejuſmodi excuſatione atque apologia, nam, quando ceſſaverat tum Sacerdotium Leviticum, Paulus non amplius tenebatur Sacerdotibus illis honorem exhibere, quem Lex legitimis Sacerdotibus vult deferri. Verum etſi de jure ceſſaſſet tum temporis Sacerdotium Leviticum, de facto tamen adhuc obtinebat, ſtante & necdum diruto Templo; Synagoga autem erat cum honore ſepelienda, donec Deus ipſe everſo per Romanos Templo, quaſi de cœlo clamaret, improbari ſibi deinceps Levitica illa ſacrificia. Propterea etſi Paulus eos non agnoſceret pro legitimis Sacerdotibus, neque eo reſpectu ſe illis ſubjiceret (ſiquidem & Apoſtoli Chriſti munus eum ſupra ſacerdotale etiam legitimum non ſecus ac Prophetas, imo potiori jure evehebat) tamen reſpectu dignitatis & gradus civilis, quem in illa gente adhuc obtinebant, honor illis debebatur aliquis, & reverentia: omnis enim ordo & poteſtas in Rep. à Deo eſt, qui eſt ordinis, non vero confuſionis auctor. Sic hodie in Gallia licet Reformati non agnoſcant Epiſcoporum Romanenſium & Cardinalium purpuratorum dignitatem Eccleſiaſticam; attamen quatenus illi

illi in auctoritate & dignitate civili ſunt conſtituti, eatenus etiam à Paſtoribus Reformatorum debetur ac defertur illis civilis honos. Ita Paulus quatenus privatus & è vulgo gentis Iudaicæ, homo plebejus, honorem debuit illis Pontificibus, qui in dignitate & auctoritate erant in illa gente conſtituti; atque ob non exhibitum ex iræ ſubitæ perturbatione debuit ſeſe excuſare, quod eo loco puto ab ipſo eſſe factum.

Ad conjecturam tuam de Ioſephi hiſtorici periocha, quæ de Chriſto loquitur; agnoſco & eam eſſe acutam atque ingenioſam: ſed neſcio an ſatis ſit Ioſephi eo loco menti & ſcopo, adeoque & verbis accommodata. Refert nempe iſthic Ioſephus aliquot gentis ſuæ quas à Romanis paſſi fuerant Iudæi clades atque injurias. Nam ante periocham de Chriſto narrat quomodo Hieroſolymis male accepta fuiſſet à Pilato clamoſa atque in ipſum contumelioſa Iudæorum turba; poſt eam vero quomodo Romæ pulſi ſint Tiberii juſſu atque edicto tota Italia Iudæi, ac quatuor eorum millia ſub prætextu militiæ fuerint in Sardiniam inſulam miſſa. Iam vero quia hæc poſterior Iudæorum calamitas illis acciderat ob inſignem impoſtoris Iudæi religione ſui Templi dolo malo abutentis fraudem: ne quis Romanus impoſturam illam Iudæis per convitium in os objice-

objiceret, præmittere voluit aliam longe graviorem equitis Romani religione ſacrorum Templi Iſidis ad turpiſſimum facinus abutentis impoſturam, ut ſi quis vellet Iudæis facinus impoſtoris illius doctoris nomen mentientis objicere; haberent illi in promptu quod ſtatim regerere poſſent Decii Mundi longe turpiſſimum factum. Hæc inter ſe argumenti ſimilitudine atque affinitate cohærent, adeoque aperte à Ioſepho in hiſtoriæ ſuæ narratione connectuntur, ſi periocham de Chriſto (quæ cum iſtis nihil habet commune) detrahas. Nam ante eam hæc ſunt ultima Ioſephi verba, *καὶ οὕτω παύεται ἡ στάσις*, ſublata quæ de Chriſto eſt periocha ſequitur; *ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἕτερόν τι δεινὸν ἐθορύβει τοὺς Ιουδαίους* quæ verba aperte ſatis cohærent cum illis *οὕτω παύεται ἡ στάσις*. Narratio autem de Paulina inſerta eſt ac præmiſſa narrationi de Fulvia, ob eam quam ante dixi cauſam, tum etiam ob argumenti ſimilitudinem, quia in utroque facto impoſtura eſt hominum religione ſua turpiter abutentium, & utrobique Saturninus eſt, tum Paulinæ tum Fulviæ maritus. Hæc mihi videtur commodiſſima *τῆς συναφείας* in Ioſephi hiſtoria ratio.

De Paulinæ autem & Decii Mundi hiſtoria quod rogas, an aliud illius veſtigium alibi deprehenderim; nihil aliud habeo quod reſpondeam, niſi hoc unum,

nullum fuiſſe ſub Tiberio Principe L. Æmilium Paulum dictum, qui à Valerio Maximo dicitur inflixiſſe ſecurim foribus templi Serapidis. At anno Æræ Chriſti receptæ primo, imperii autem Auguſti anno XLIV, Conſul fuit non L. ſed Q. Æmilius Paulus: & anno Auguſti XLVII (hoc eſt triennio poſt) Conſul itidem Romæ fuit C. Sentius Saturninus, qui jam Conſul fuerat anno Auguſti XXV. Is autem an fuerit Paulinæ maritus; dicere non poſſum: Tiberio certe potuit eſſe familiaris: etenim eo anno (Auguſti inquam XLVII) Auguſtus amiſſis duobus nepotibus tertiũ Agrippam & ejus vitricum Tiberium adoptavit, ac præterea Tiberium Tribunitiæ poteſtatis ſecum conſortem fecit. Itaque ſi Paulinæ narratio fabula non eſt, & ſi templi Serapidis everſio (de qua Valerius Maximus) decreta eſt ob Decii Mundi flagitium; neceſſe eſt eam contigiſſe anno illo Auguſti XLIV, Æræ Chriſti Dionyſianæ ſive receptæ primo, quo non L. ſed Q. Æmilius Paulus Conſul fuit una cum C. Iulio Cæſare Auguſti nepote. Fuit quidem L. Æmilius Paulus & ipſe Conſul, ſed annis ante Chriſti æram receptam quinquaginta, quo anno Cæſar Pompejo bellum intulit, ſed vix tum in vivis erat Tiberius, itaque non potuit tum Paulinæ factum contigiſſe.

Atque hoc de utroq; tuo Problemate, quod

quod potui, habeto à me reſponſum, quorum occaſione ad id quod à me rogas in fine Vindiciarum tuarum de Cœnis Puris Tertulliani, annon videatur eſſe mendum librarii pro Cœnæ Purim, dicam; videri confirmari poſſe conjecturã illam tuam ex eo, quod in Tranſlatione Græca libri Eſther dies Purim vocantur *φρουραὶ* cap. 10. 26. *διὰ τοῦτο ἐπεκλήθησαν αἱ ἡμέραι αὗται Φρουραὶ διὰ τοὺς κλήρους, ὅτι τῇ διαλέκτῳ αὐτῶν καλοῦνται Φρουραί.* Eſt enim iſthic manifeſtum, non interpretis ipſius; ſed veteris & ſcioli alicujus librarii aut emendatoris vitium, *Φρουραὶ* nempe iſthic poſitum pro *Φουραὶ* à Chaldæo פּוּרַיָּא (quomodo à Paraphraſte appellantur) putavit ſcilicet librarius imperitus *Φουραὶ* mendoſe eſſe ſcriptum pro *Φρουραὶ*, ac dies illos ſic eſſe dictos, quod eſſent maxime obſervandi & à Iudæis revera magna cum religione cuſtodirentur: mutatum itaque eſt *Φουραὶ* in *Φρουραί*. Latinus interpres, qui ex Græco reddidit (nam ad Hieronymum uſque omnes Latinæ verſiones ex Græco non ex Hebræo ſunt factæ) ex *Φουραὶ* videtur Latine ſcripſiſſe Phuræ, quod ablata aſpiratione alius ſciolus librarius mutavit in Puræ, ut Latinam vocem ex Barbara *Φουραὶ* faceret, quomodo alter ille ex Chaldæa Græcam voluit facere. Dies itaque Purim videntur in Latinis tranſlationibus hoc pacto mutatæ in puras, atque inde con-

 vivia

vivia diebus illis inter Iudæos agitari ſolita Cœnæ puræ dici forte potuerunt. Neſcio tamen an Cœna Pura iſthic à Tertulliano dicatur אפיקומן hoc eſt ἐπίκωμον ſeu Cœna apolytica Iudæorum, quam ſtatim poſt Cœnam Paſchalem celebrant, ut cœna pura ſit ea quæ frugi eſt & ſobria, oppoſita cœnæ quam Latini rectam vocant & dubiam, hoc eſt, lautam & opiparam atque ſplendidam, nihil enim eſt illo ἐπικώμῳ frugalius, ſiquidem conſtat ex ſola מצה ſeu pane infermentato & acetariis, atque vini poculo, quod omnibus in orbem convivis circumfertur deguſtandum atque delibandum. Nihil hic affirmo, conjecturam tantum meam propono, atque ſymbolam meam in hanc cœnam confero: elige quod palato tuo magis ſapiet, noſque ut facis amare perge, atque apud te ſtatue, quod ego ſim, atque poſtmodum in perpetuum futurus

Tuus ex animo totus,

L. CAPPELLVS.

Salmurii, Nonis ipſis menſis Auguſti, 1636.

Digitized by Google

QVÆSTIO THEOLOGICA Ad oraculum Propheticum DE IMMANVELE naſcituro ex VIRGINE.

Eſaiæ VII, 14,15. Diſputata 18 Februarii 1641.

Thesis I.

ORaculi de Immanuele Eſaiæ VII, 14,15, interpretatio Θεόπνευστος, de qua Chriſtianis nefas eſt ambigere, illa eſt apud Euangeliſtam Matthæum cap. 1, 22,23. In nativitate Ieſu ex Maria Virgine impletum, quod à Domino dictum per Prophetam dicentem: Ecce Virgo ἡ παρθένος Vterum feret & pariet Filium, & vocabis nomen ejus Immanuel: quod eſt, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus.

II. Contra Apoſtolicam interpretationem litigant Iudæi, conteſtantes & oraculi *citationem* Grammaticam ſeu literalem, & *applicationem* ejuſdem hiſtoricam ad Meſſiam olim naſciturum. In citatione Grammatica diſputant peccari principaliter in interpretatione vocis העלמה, per ἡ παρθένος Virgo, quæ ſi proba eſſet, contendunt debuiſſe apud Eſaiam ſcriptum eſſe בתולה, non *Almæ*,

 ſed

ſed *Bethula:* Eſſe enim *Alma* vocem mediam ut נערה *Naara*, quæ notat ætate Adoleſcentulam, νεανίδα, ſive ſit בתולה *Bethula* Virgo, ſive בעולה *Beula* Maritata. *R.d.Kimchi* in *Commentar.ad Eſaiam* & in *Libro Radicum in Radice* עלם. Ex Iudæorum mente Aquila & Theodotio vertunt ἡ νεανίς adoleſcentula: & Hiſpaniea Iudæorum *Biblia*, excuſa *Ferraria anno* 1553, habent, *la Moça*, in noſtro quidem exemplari, ſunt enim ejuſdem editionis & anni exemplaria alia, in quibus relicta eſt in medio Hebræa vox *Alma*.

III. Præiviſſe Apoſtolo interpretatione vocis *Alma* per ἡ παρθένος, ipſos Iudæos interpretes LXX, contra *Ebionæos* ſectantes interpretationem *Theodotionis Epheſii, & Aquilæ Pontici, Iudæorum proſelytorum*, jam olim conteſtatus eſt *Irenæus, Libro adverſus hæreſes Valentini & ſimilium*, 3, *cap.*24. *Interpretatum eſt, inquit, in Græco ab ipſis Iudæis multum ante tempora adventus Domini noſtri, ut nulla relinquatur ſuſpicio, ne fortè morem gerentes nobis Iudæi, hæc ita ſint interpretati, &c.*

IV. Exiſtimamus autem ne quidem Fidei Chriſtianæ de myſterio naſcituri ex virgine Meſſiæ, aſſenſuros fuiſſe Iudæos, etiamſi voce בתולה quam hic flagitant, Propheta eſſet uſus: quia etiam vox illa occurrit & de adoleſcentula ſtuprata

ſtuprata jam Deut. 22, 25, & de vidua maritum lugente Ioel. 1, 8.

V. Aſſerimus autem & magis determinatam Virginis ſignificationem eſſe in voce *Alma* quam in *Bethula*, & pleniorem ineſſe & perfectiorem notationem Virginitatis etiam ipſis oculis quaſi intactæ & illibatæ, quia vocis etymologia Hebræa notat ἀπόκρυφον ſeu abſconditam & ſecretam educationem in parentum aut tutorum ædibus. Neque ullum eſſe in Scriptura locum ubi alia quam Virginis ſignificatione vocem Alma accipere nos cogant loci circumſtantiæ. Occurrit præter locum Eſaiæ VII,14,15, alibi ſexies tantum. 1. Geneſis 24,43.) 2. Exod.2, 8.) 3. Pſalm.68, 26.) 4. Proverb.30, 19.) 5. Cant. 1, 3.) Cant. 6, 7.

VI. Vnus ex illis ſex locis Prov. 30, 19, contra Chriſtianos urgetur à *R. D. Kimchi in libri Radicum:* in quo eſt דרך גבר בעלמה, *Via viri in Alma*, Quod contendit non poſſe ſine magno abſurdo exponi, *Via viri in Virgine:* & flagitare verſum ſequentem ut de muliere fornicatrice ſeu adultera, quamvis ætate adoleſcentula, accipiatur. Hic exiſtimant nonnulli ſtandum eſſe verſioni Iudæorum LXX, qui vertunt ἐν νεότητι *in Adoleſcentia* ; quia non eſt infrequens in lingua Hebræa ut fœminina vox concreta, ſignificet Abſtractum; & intelligendum

 eſſe

eſſe per Viam viri in adoleſcentia, quæ captum excedat, difficulter inveſtigabilem vitæ ſcopum & inſtitutum, propter ætatis æſtum, & affectuum lubricitatem.

VII. Non exiſtimamus neceſſum eſſe ut illa evaſione utamur; ſed neq; Salomonis orationem vexandā cenſemus, altera ἀπαγωγῇ, qua nonnulli amant Iudæis obtrudere hujus ipſius loci expoſitionem de Virgineo conceptu & partu Meſſiæ: quo confugit *Oecolampadius*. Potior videtur & ſufficiens eſt illorum reſponſio, qui eodem quidem cum verſu ſequenti ſcopo, ſed non de una muliere, accipiunt quod à Salomone dictum eſt, in hanc ſententiam, ut notet, occultas & clandeſtinas vix perveſtigabiles virorum artes & inſidias; à quibus, accedente quandoque ipſarum lubricitate, admodum eſt difficilis Virginum cuſtodia. Accedit quod ipſum etiam naturale Virginitatis arcanum potuit reſpexiſſe, quod Medicis & Philoſophis pene ἀκατάληπτον fecerunt illarum artes quæ cum Virgines non ſunt, Virginitatem ita mentiuntur, ut etiam imponant; Quamvis craſſa nimis ſit impoſtura, cui qui credat decipi velit, quæ fide *Genebrardi* refertur, *Ambianis in Francia contigiſſe ut virgo pepererit ſub Henrico* II, *Franciæ Rege*. *Z. Vrſinus* in Eſaiam: Si recte inſpiciatur locus, facit contra Iudæos, quia manifeſtiſſimum eſt

ex

ex verbis Salomonis, eum nomine Alma, ſeu virginis ſeu puellæ, uti per Catachreſin, pro ſcorto quod ſeſe gerit & venditat pro Virgine. Itaque vocat virginem, id eſt, quæ videtur aut vult videri virgo, etiamſi non ſit virgo: id eſt, virginem non veram, ſed ſimulatam aut creditam.

VIII. Enim vero, Eſto ſit mediæ ſignificationis vox *Alma*, At in oraculo de Immanuele, aliam quam Virginis ſignificationem non patitur præfatio illa, *Daturus eſt vobis ſignum Dominus ipſe: Ecce, &c.* Quæ notat, Rem novam & ſtupendam quam immediate operaturus ſit Deus ipſe ſua omnipotentia: Ejuſmodi autem ſignum אות nullum promittitur, ſi tantum promittitur, fore ut ſecundum naturæ ordinem, virum experta adoleſcentula concipiat & pariat. Atque nimis dilutum eſt effugium, in eo ſignum conſiſtere quod ante partum certo prædici potuerit, adoleſcentula paritura maſculum. Prædictioni enim tam illuſtri, illuſtris miraculi, parum conveniens eſt, ſi nihil cenſeatur prædictum, quod non à ſagacioribus obſtetricibus per conjecturas naturales inveſtigari, vel divinando etiam attingi potuerit: de quo proinde oraculum non neceſſario ut Θεόπνευστον & infallibile, accipi, ſed ut conjecturale ab Achazo negligi poterat & rideri. Recte ergo *Oecolampadius*

enarratione in Matthæum, non eſſet ſignum, ſi vulgari modo puella concepiſſet.

IX. Vindicata loci *citatione*, ſuccedit vindicatio *applicationis* ad Meſſiam, abſque qua fruſtra eſſet prior: Ad Meſſiam enim non eſſe applicandum oraculum, ut puerum qui naſciturus promittitur, diſputatur non una objectione, quarum objectionum hæc ſumma eſt: Non debere applicari oraculum ad puerum poſt multa ſæcula demum naſciturum, quia agebatur cum Achazo rege, qui Domui Davidicæ & urbi Hieroſolymæ, à duobus hoſtibus Rezin Rege Syriæ, & Pekach Rege Iſraelis, metuebat: à quibus bello petebatur, & qui minabantur ſe Iudæam redacturos in Provinciam inter ipſos diſcerpendam: ſeu facturos partim Syriæ partim Iſraelis προσθήκην. Quod non futurum ſpondens Deus per Prophetam ſignum offert & dat ipſe, partum *Alma*. Iam ad præſentem illam liberationem, Quid facit ſignum de Immanuele multis poſt ſæculis demum naſcituro? Et ad Achazum impium, Quid facit promiſſio de Meſſia? Quam neque ipſe intellexit, neque credidit? Et omnino videtur præſentis liberationis præſens ſignum flagitare in puero mox naſcituro, & educando butyro & melle, verſus 16, immediate ſequens. *Quia*, ſeu *Enimvero*, *antequam puer iſte ſciat averſari malum*, *&* *eligere*

bonum,

bonum, relinquetur terra, quam tu deteſtaris, à duobus Regibus ejus.

X. Propter hos ſcrupulos, *VVolſgango Muſculo* adlubeſcit in *commentario* in *Eſaiã*, ut ad expugnandam Iudæorũ pervicaciam magis ſolida oraculi interpretatio illa, qua tres illi v. 14, 15, 16, non accipiantur κατὰ τὸ ῥητὸν ſeu ad literã de Meſſia ex virgine naſcituro: ſed, de puero aliquo ex puella adoleſcentula per congreſſum viri naſcituro, cui imponendum eſſet nomen Immanuelis: cujus nominis ſymbolo in puero illo ut typo, haberent ſignum & præſentis, & futuræ per Meſſiam naſciturum, liberationis, qui ex virgine naſciturus, eſſet typi illius antitypus plene implens oraculum. Ex Pontificiis idem ſentiunt *Salmero*, aliique.

XI. Verũ enimvero non ſic expugnari cenſemus Iudæorum pervicaciã, ſed imprudenter confirmari: Et ad veram Loci Prophetici Analyſin, non eſt cũ verſ. 14, & 15, ut de puero uno naſcituro Immanuele connectendus verſus 16, ſed de naſcituro Immanuele & educando butyro & melle ſermo, *cum verſu* 15 finẽ habet: verſu autem 16, redit ſermo Propheticus ad jam natum puerum Prophetæ filium *Schearjaſchub*, de quo ante ſermo fuerat, v. 3, qui antequã adoleſceret, promittitur duorum iſtorũ Regum Syrię & Sam. ſublatio è medio; ut non ſint porro metuẽdi.

XII. Quid autem faciat ad rem

præſentem ſignum de Immanuele multis poſt ſæculis demum naſcituro, variè conantur expedire Chriſtiani: Quorum variis ſuffragiis ponderatis, *Fred. Spanheimius Dubiorum Euangelicorum Parte I, Dubio* 34, Probabiliorem cenſet ſententiam illorum: qui arbitrantur, vocem אות non eſſe urgendam, quaſi proponeretur partus virgineus, ut ſignum proprie acceptum liberationis Achazi: tale enim ſignum non amplius polliceri Prophetam, eo quod Achaz id rejeciſſet: ſed τὸ אות hic accipiendum generice. Quod videtur voluiſſe *Vatablus* in notis hac paraphraſi: q.d. *Tu cogitas Deum non ſatis eſſe potentem ut te liberet à Rezin & Pekach: at falleris, nam longe majus argumentū ſuæ potentiæ daturus eſt tuis nepotibus, faciet enim ut ex Virgine naſcatur Meſſias: qui liberabit populū à pernicioſioribus multo hoſtibus, peccato, morte, & Satana.*

XIII. Quamvis autem *Spanheimius* ſententiam illam cenſet probabiliorem quam illorum, qui exiſtimant Achazum putaſſe imminere exitiū totale & Iudææ & Domui Davidis, Deum vero ſubjicere ſignum, & docere, *non vaſtandam vel exſcindendam penitus eſſe Iudæam donec peperiſſet Virgo, &c.* Nobis tamen valde ἀγχίθυρος ſeu vero proxima videtur iſta reſponſio, quam egregie explicatam vide & defenſam à *Zach. Vrſino*, commentario in Eſaiam.

XIV. Non

XIV. Non autem putamus opus eſſe illa Hypotheſi, quam illius ſententiæ baſin facit Spanheimius: Quod in Scriptura ſæpe ex ipſis reſponſionibus judicium ſit faciendum de quæſtionibus: Cum ergo dicat Propheta, non deſtruendam eſſe Iudæam niſi poſtquam Virgo conceperit & pepererit; interrogationem etiam eodem modo eſſe intelligendam: quam hypotheſin fatemur eſſe ſubtiliorem quam ſolidiorem: Ac ſolidius eſſe exiſtimamus ſi ex quæſtione judicium fiat de reſponſione, non eſſe ἀπροσδιόνυσον.

XV. Quid ergo? Non perſonis duorum iſtorum hoſtium Regum Syriæ & Samariæ, eorumque vitæ termino, adſtringenda eſt comminatio quam ex illorum conſultatione formidabat Achaz: ſed juxta verbum illud, *pugnent ipſique nepotes*, non perſonæ Achazi ſoli ſed nepotibus etiam ſuis metuebat ipſe, ne vel Syriæ vel Samariæ, vel partim, vel in ſolidum contributa fieret Iudæa, ſuis Regibus & regimine orbata: quod quidem ipſi propediem ſe effecturos conjuraverant verſ. 5, & 6. Hoc erat ergo τὸ κρινόμενον principale, de quo, ut mos eſt Regibus, non ſuo tantum ſed etiam nepotum, regni hæredum nomine, illum ſub pectore verſabat & coquebat cura cum trepidatione & metu, An ſucceſſum unquam habitura eſſent conſilia iſta, ſe-

rius

rius ocyus, de Iudæa orbanda ſuis Regibus & regimine, & redigenda in provinciam, contributam vel partim vel in ſolidum Syriæ aut Samariæ.

XVI. De vaſtanda vel exſcindenda penitus Iudæa, alia eſt quæſtio, cui reſpondetur alio oraculo Prophetico Danielis cap. 9, 27. Nativitatis Meſſiæ tempus propius tangit Quæſtio illa de Iudæa aut Samariæ aut Syriæ contributa. Ad quam exiſtimamus oraculo Prophetico, Eſaiæ cap. 7, contineri reſponſionem bipartitam: Non fore Samariæ aut Syriæ contributã Iudæam, I. neque tempore Achazi abſolute, quia brevi intra adoleſcentiam pueri recens Eſaiæ nati, uterque & Syriæ & Samariæ rex conſilii iſtius auctores, eſſent exterminandi ſuis ſedibus, II. neque nepotum Achazi tempore: quin ante conciperet Virgo.

XVII. Hanc oraculi de naſcituro ex Virgine Meſſia διάνοιαν, non labefactat nec evertit Achazi neque cæcitas neque infidelitas: quia juxta illam, neque neceſſe eſt ut ipſum attingat ſalutaris Meſſiæ naſcituri promiſſio qua talis; neque ut Meſſiam ex virgine naſciturum crediderit aut intellexerit, aut ad oraculi veritatem, aut ad trepidationem illius auferendam intereſt: Sed quoad ipſum hoc abunde ſatis eſt, ut quod ipſe in ſua infidelitate & cæcitate, ſecundum literam tamen intellectũ, credidit ἀδύνατον

& nun-

& nunquam futurum, datum ipſi fuerit in ſignum ejuſmodi, quod donec fieret, non eſſet futurū quod metuebat: Quando autem fieret, futurum eſſet ſalutare Eccleſiæ Dei.

XVIII. Quod autem Nativitatis Chriſti tempus attingat, quæſtioni illi de Iudæa futura aut Syriæ aut Samariæ, contributa provincia, & προσθήκη, reſpondens oraculum de Immanuele naſcituro ex Virgine: utpote non tantum omnipotentiæ divinæ, ſed etiam plenitudinis temporis ſignum Achazo & domui Davidis datum intelligatur: fidem facit Iudæi *Ioſephi* hiſtoria, ejuſque cum notatione illa Lucæ Euangeliſtæ concertatio: Luc. 2, 2, *Hæc deſcriptio prima facta eſt præſide Syriæ Cyrenio.*

XIX. Non laboramus ad quæſtionem præſentem magnopere de Loci illius apud Lucam Chronologia conciliandа cum *Ioſepho*, qui demum poſt mortem Herodis Aſcalonitæ regnante Archelao, Cyrenium ſcribit Præſidem Syriæ conſtitutum: quem nodum varie aut ſolvunt aut ſecāt Theologi & Chronologi: Siquidem ſtandum erit Ioſephi Chronologiæ, & Cenſus ille de quo loquitur Lucas actus eſt non ſub *Quirinio* ſed ſub *Q. Varo* Syriæ tum temporis Præſide, dicemus obiter potiorem videri ſolutionem illam, *Quod apud Lucam πρώτη æquipolleat comparativo πρότερα:*

ut

ut hic emergat ſenſus. Hæc deſcriptio, prior fuit quam Quirinius Syriæ Præſes eſſet : vide *Steuberi* præfationem ad *Tabulas Helvici* : quam ut dicatur *Forte illum verſum non eſſe Lucæ :* vel *ſi eſt Lucæ, forte errore Librarii irrepſiſſe mendoſam Lectionem Cyrenii pro Qu. Vari.*

X X. Quidquid ſit de Chronologia iſta, Hoc in præſens ſufficit : Non ante debuiſſe fieri Iudæam Syriæ contributam quam circa illam temporis plenitudinem, in qua naſciturus erat ex Virgine Immanuel : Non potuiſſe ergo nec debuiſſe ultra differri Meſſiæ nativitatẽ, Quando Syriæ Præſes, quiſquis ille fuerit primus, ſive Cyrenius ſive Quintilius Varus, ad cenſum in Syria agendum miſſus, cenſum una egit in Iudæa ut Syriæ provinciæ contributa.

X X I. Quamvis ergo largiendum eſſet, demum poſt mortem Herodis, ſecundum Ioſephum, quando Iudææ Tetrarcha fuit Archelaus, miſſum à Cæſare Romano Cyrenium ad cenſum in Syria agendum : Demonſtratur tamen ſolide Fides Chriſtiana, in illa tempora incidiſſe Meſſiæ pueritiam, ex eo quod Ioſephus ſcribit hoc factum *τῆς ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ σύρων*, Dirione Archelai contributâ Syriæ, Antiq· lib. 17, cap. 15. quod mox lib. 18, cap. 1, enunciat illis verbis, *τὴν Ιουδαίαν προσθήκην τῆς συρίας γενομένην* Iudæam jam attri-

attributam provinciæ Syriæ. Ac jam ante commemoraverat hoc Iudææ accidiſſe ipſa Iudæorum poſtulatione: qui, repreſſis ſuperveniente Varo Syriæ præſide ſeditioſis Pſeudo-Chriſtis Regis titulum uſurpantibus, omniaque miſcentibus cæde & ſanguine, Legatos ipſi permiſſu præſidis Syriæ Romam miſerunt: *ἦν δὲ κεφάλαιον αὐτοῖς τῆς ἀξιώσεως, Βασιλείας, ϗ τοιῶνδε ἀρχῶν ἀπηλλάχθαι, προσθήκην δὲ συρίας γεγονότας, ὑποτάσσεσθαι τοῖς ἐκεῖσε πεμπομένοις στρατηγοῖς.* Summa poſtulatorum hæc fuit, ut mutata Reipublicæ forma poſthac ſine Regibus agerent, & contributi Provinciæ Syriæ Romanis parerent poteſtatibus. Antiq. lib. 17, cap. 12.

XXII. Eorum, quæ dicenda ſuperſunt, explicationem prolixiorem differimus in diſputationem aliam de *Temporis plenitudine:* Ad præſentem autem diſputationem ſufficiet pro concluſione Theſis hæc, ex *D. Toſſani Theſibus contra Iudæos, diſputatis anno* 1596, *Theſi* 28, Euangelicum Prophetam Eſaiam etiam hoc cap. 7 deſcripſiſſe luculenter utriuſque naturæ in Chriſto attributa, atque expoſuiſſe Promiſſionem illam primam factam Geneſ. 3, *de Semine mulieris*. Per ſemen enim mulieris intelligi verũ hominem aut infantem conceptum & natum ex fœmina Virgine, id eſt ſine congreſſu viri, admonet Eſaias, docens futurum

turum ut virgo illa (העלמה *cum* ה *demonſtrativo*) olim ſcilicet ſub promiſſione de *Semine mulieris* intellecta concipiat & pariat filium, qui ut verus puer butyrum & mel ſit comeſturus, donec adoleſcat, & proficiat ætate & judicio diſcernens bonum & malum: & vocatum iri nomen ejus *Immanuel.*

Ex eodem Theſi 30.

Virginem deſignari, eamque peculiarem indicat articulus..... Item quod hic patris nulla fit mentio. *Poſterior obſervatio eſt apud Oecolampadium in Eſaiam.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google